CVDAIGG

1600

G. f. 89

Diese Ausg.
00

k

Theol. F. VI. 501.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-145966-p0002-4

2

IMAGINVM ET MEDITATIONVM SACRARVM.

LIBRI III.

NATHAN CHYTRAEVS.

Cum Cesareæ Maiestatis Priuilegio.

ROSTOCHII

Excusi per Iacobum Lucium.

ANNO M. D. LXXIII.

A. Henrici von der Lühe.

NATHANIS CHYTRAEI
IMAGINVM ET MEDITATIONVM
SACRARVM LIBER I.

AD ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES ET DOMINOS, D. IOHANNEM ALBERTVM, ET D. VDALRICVM FS. Duces Megapolenſes, Principes Vandalorum & Obetritarum, Comites Suerini, Dominos Roſtochij, & Stargardiæ &c. dominos ſuos clementiſſimos.

ILluſtres animæ, mihiq; ſemper
Cultæ ob perpetuã benignitatẽ,
Et veram ſapientiam, piumq;
Virtutis ſtudium, piamq; vitam,
Atq; ob præſidium decusq; noſtris
Dudum nobile præſtitum Camœnis:
Illuſtres animæ, quibus dicaui
Poſt Chriſtum ingenij mei labores,
Quos poſthac etiam libens dicabo:

En vo-

En vobis monumenta Christianæ
Salutis, fideiq; Christianæ:
En vobis tenues precum libellos:
Quos vultu placido, manu benigna
Mites accipite, & simul tuendum
Vobis propitijs putate sceptris
Ornandumq; simul pium poëtam;
Fastorum reliquos breui libellos,
Multos, difficiles, laborioſos,
Quærentesq; animum sibi serenum,
Terrenisq; adeo curis solutum,
Vobis claudere posſit vt patronis:
Olim quem semel in fidem receptum,
Certè omni auxilio putare dignum
Deinceps etiam decebit, atq;
Hanc vobis solidam parare laudem,
Sitis quod studijs pijsq; Musis
Spes, lux, præsidium, decus, corona.

C.V.

obs.

CREATIO MVNDI.

DEO CONDITORI
ET CONSERVATORI.

Hæc quicũq; vides magni tentoria cœ-
Et digesta suis sidera clara locis: (li,
Qui solem, & lunam, mundi duo lu-
Perpetuo certis ire redire vijs: (mina, cernis
Qui coniuncta maris terrenæ pendula moli
Pondera tam miro constabilita modo,
Qui noctis lucisq; vices, qui frigus & æstum,
Veris, & autumni tempora certa notas:
Qui varias fruges, plenũq; animalibus orbem
Et mare repletum piscibus esse vides:
Qui volucres, flores, scatebrisq; perẽnia cernis
Flumina, qui plantas, arboreasq; comas:
Ecquid fortuito dices hæc omnia casu
Et sine consilio stare creata Dei?
Cum minimus cespes, parui cum paruus agelli
Flosculus æternum prædicet esse Deum:
Impius es, stultusq;, adeò qui desipis ipse,
Aut tibi si faciunt dicta aliena fidem.
Hæc Deus ex nihilo verbo omnipotẽte creauit,
Pollentiq; regit cuncta creata manu.

CREATIO HOMINIS.

HOMINIS ORI-
GINI.

CVm fabricata forent formoſi corpora mundi
Quidquid & hæc mũdi continet ampla do-
Deerat adhuc rebus cuſtos rectorq́ creatis, (mus,
Qui domini certas poſſet obire vices:
Ergo deus terræ ex limo formauit Adamum,
Vtq́ creatoris lux & imago foret,
Indidit huic diæ cœleſtia ſemina mentis,
Semina iam miris debilitata modis:
Addidit & ſociam vitæ, atq; vtrumq; locauit
In Paradiſiaci blanda vireta ſoli.
Quisquis es attollens criſtas, faſtuq́ tumeſcens,
Quod tibi principium, qualis origo vide.
Limus es, et bene nomẽ humi de nomine ſeruas,
Namq; homo de vili condirus omnis humo eſt.
Contra qui terræ affixus cœli immemor hæres,
Neſcius effigiem te patris eſſe dei:
Aut hanc criminibus qui polluis ipſe nefandis,
Dæmonis aut fieri turpis imago ſtudes:
Te grauis ira dei, te debita pœna ſequetur,
Non ſua fœdari ſert ſimulacra Deus.

LAPSVS PRIMORVM PARENTVM

AMBITIONI AERVMNOSAE.

ET iam præſes erat, iam terræ rector Adamus,
Iam Paradiſiaci regna tenebat agri:
Plenus amore dei, dia ratione ſideq́,
Integer, & verax patris imago ſui.
Ah quam dulce fuit tam ſanctam degere vitã,
Expertem vitijs, complacitamq́, deo.
Sed breuis illa fuit primorũ & fluxa parentum
Gloria, ſerpentis fluxa breuisq́, dolo.
Ille Dei mandata, odijs immanibus ardens
Peruertit, blandis extenuando ſonis.
Hoc ſimul ac fuerat cũ coniuge paſſus Adamus,
Labitur, & morti præda petenda ruit.
Completur tenebris ratio, cor protinus odit
Atq, auerſatur iuſſa verenda Dei.
Denicq, mortifero veluti perfuſa veneno
Omnia ſunt vitijs omnia plena malis.
Totaq́, poſteritas morbo vexatur eodem,
Et cumulat pœnas in ſua damna graues.
A Sathanæ pie Chriſte dolis nos aſſere: verbo
Offundi nebulas nec patiare tuo.

EXILIVM E PA-
RADISO.

AD AMO EXV.
LANTI.

LApſus Adã trepidat, mens illũ conſcia terret.
Quin fugit offenſi verba tremenda patris:
Cumq; ſua conſorte ſtudet latuiſſe videntem
Omnia, quem potuit fallere nemo, Deum.
Ergo reus culpæ, pœnæq; addictus acerbæ,
Cogitur aſsidui ferre laboris onus.
Mox etiam gladio Paradiſi expellitur horto,
Vt ferat exilij triſtitiæq; iugum.
In cineres donec tandem, cinis ipſe, ſolutus,
Exeat è vincli pondere corporei.
Ne tamen huic ipſi ſuccumbant corda dolori,
Monſtratur tantis quæ medicina malis,
Virgineum ſemen, miro quod conteret ictu
Serpentis dirum, mortiferumq; caput.
Reſtituetq; ſuis vitam moriendo perennem,
Sic tamen vt mortis fracta trophea cadant.
Salue nate Deo, quem virgo puerpera partu
Edidit innocuo, tu noua vita tuis.
Tu patriæ nos extorres extorris & ipſe
Exilio reddis ſupplicioq; tuo.

Dilu-

DILVVIVM.



IVSTO ET VLTO.
RIDEO.

Extrema impietas totum compleuerat orbem,
Ludibrio & ſummi iuſſa parentis erant:
Coniuraſſe omnes in deteſtanda putares
Crimina, queis alios vincere laudis erat.
Lamechidæ vnius pietas, ſpes lenta, fides q̃,
Sollicitæq̃ preces, votaq̃ riſus erant,
Vsq̃ adeo improbitas imis innata medullis,
A lapſu fuerat triſtis Adame tuo.
Ergo deus grauiter meritas exarſit in iras,
Impatiens ſcelerum ludibriiq̃ Deus:
Vt tamen & patriæ bonitatis ſigna manerent;
Pœnarum longo tempore præco fuit
Veridicus Noë, cui credere nemo volebat,
In medijs donec terra nataret aquis,
Quæ certo abluerer tantas purgamine ſordes,
Nullo alio tolli quæ potuêre modo.
Nunc vbi cum terris ipſas ſimul æquoris vndas
Infecit grauius quam fuit antè ſcelus;
Quid ſupereſſe poteſt? lapſus niſi deſuper ignis
Cum terris ipſas iam quoq̃ perdat aquas.

Con-

CONFLAGRATIO
SODOMAE.

DEI IN POENIS MISERICORDIAE.

CVm sceleră augentur, iustas quoq; crescere
Imperat æterni regula iusta patris. (pœnas
Ergo velut vis diluuij totum obruit orbem;
Sic quoq; supplicium fœda Gomorra luit.
Fœda Gomorra nimis, petulantibus improba fa-
Fraude, libidinibus, luxuriaq; tumens. (ctis,
Quæ tolerare Dei mens nescia, funditus vrbes
Eruit, & rabido sulphuris igne cremat.
Vt tamen & medijs Noe seruatur in vndis;
Angelica tutus sic ope Lothus abit.
Christe tui tutela gregis, spes vna tuorum,
Nos rege perpetuo flaminis igne tui.
Vt tua iussa tuo pleni sectemur amore,
A fœdi immunes colluuione gregis.
Ne simul impietas prono nos fluminis aluco
Auferat à studijs officijsq; pijs.
Aut remorentur opes, & fluxæ commoda vitæ
A veri, & summi cognitione boni.
Quod si forte graues exposcant crimina pœnas,
Simus & in media nos tua cura nece.

Abra-

ABRAHAMI OBEDIEN-
TIA SPECTATISSIMA.

FIDEI ANI. MOSAE.

MAgnanimæ exẽplũ fidei, pietatis, amoris,
Et magnũ meritis aſpiceT hariaden.
Cui Deus effœto, ſterili de coniuge natum
Spem generis dederat paruule Chriſte tui,
Vnigenam natum, patri matriq; voluptas,
Quiq; ſenectutis mite leuamen erat.
Non tamẽ huic, domino ſic præcipiente, volebat
Parcere, quin ſacros duceret ante rogos,
Duceret ante rogos tenerum ſua viſcera natũ,
Et patria in natum ſtringeret arma manu.
O excelſa fides, ö explorata voluntas
Omnia pro vero ferre parata Deo.
Tu non viſa homini, tu nulli audita per orbem
Credis, & æthereum viuida robur habes,
Veraci confiſa Deo, cui ſubiacet vni
Quod natura ſuo freta tenore negat.
Quin etiam certam præſenti in funere vitam
Cernis, & æternas ſpe duce pandis opes.
Fac Deus vt fidei in nobis ſcintillula creſcat,
Quæ vitam in media morte videre queat.

AGNVS PA-
SCALIS.

CHRISTO VICTIMÆ ADVMBRATAE.

SElectus grege de reliquo pulcherrimus ag-
Mactatus quarto sole cadente cadit. (nus,
Illius hyssopum intingit Iudæa cruori,
Protinus & postis limen vtrumq; notat.
Assatumq; agnum mox totum absumit edendo,
Infermentato corpora pane cibans,
Incolumisq; manet, dum tota Aegyptia tellus
Interfecta sibi pignora prima gemit.
Agnus hic est Christus, qui prima ab origine
Victima pro toto debuit esse grege. (mundi
Hunc Iudæa cohors reliquo secernit ouili,
Damnatum & quarta denigz luce necat.
Excelsa trabe pendentem, tum scilicet illum
Ignea siderei torruit ira patris.
Effluxitq; cruor, qui sordes eluit omnes,
Auertitq; tuas vltor acerbe manus.
Tu modo fermentum vetus eijce, pectore puro
Innocua vt possis præditus esse fide.
Signiferiq; sequi vestigia protinus agni,
Cum reliquas victa morte præibit oues.

TRANSITVS PER MARE RVBRVM.

DEO VICTORI ET VIN
DICI INVICTISSIMO.

DVxerat è Pharios Iudæam carcere gentem
Amramides, populi fida columna sui.
A tergo insequitur turba comitante Tyrannus:
A fronte irati fluctuat vnda maris:
Vtring; insurgunt scopuli: trepidatio totis
Exoritur castris: spes prius orta fugit:
Præsentemq; viris intentant omnia mortem,
Et planctu & lacrymis littora tota fremunt.
Solus erat Moses, Domini qui fretus amore,
Intrepida stabat spem recreante fide:
Addebatq; animos trepidis. state, inquit, opemq;
Magnificam nostri quæso videte Dei.
Nec mora fluctiuomum baculo dux percutit æ-
Mox instar montis fixa stat vnda maris, (quor
Vt sicco pede transiret gens subdita Mosi,
Et Pharao in medijs ipse periret aquis.
Fide Deo, diffide tibi, votiq; fidelis
Præsidio, in medio funere tutus eris.
Ille velut scopulos vndam indurare, Tyrannos
Ipse omnes vna mergere clade potest.

MANNA.

FIDEI NVNQVAM EGENTI.

Liquerat Aegypti vix dura ergastula Moses,
Abramidū ductor perfreta scissa maris.
Cum subito pertæsa viæ, pertæsa laboris
Exigui, lautos turba molesta cibos
Postulat, et repetit Pharias cū murmure cœnas,
Tam citò mirandi non memor effugij:
Tam subito diffisa Deo: qui mitis & iræ
Vim cohibens, rigidos concipit aure sonos.
Nec mora ros niueus certans dulcedine melli
Funditur æthereis luce sequente plagis.
Demenso quem turba legit contenta diurno,
A Domino in celerem viuere iussa diem.
Tantundē q; habuit qui paucula grana referret
Quam cui collectus magnus aceruus erat.
Optime Christe tuæ da corda fidelia genti,
Quæ rectè, et placidè cuncta ferenda ferant.
Quæq; intenta tuo semper sine murmure ver-
Affundi reliquas experiantur opes. (bo.
His, potius quam quid desit, pluet æthere panis,
Petraq; mirandas saxea funder aquas.

PROMVLGATIO DE-
CALOGI.

DEI SANCTI ET TERRI-
BILIS NORMAE AETERNAE.

Venerat ad Sinæ frondosa cacumina montis
Dux Moses populi confugiumq; sui.
Cum Deus horrendo cũ fulgure fulmina mis-
Promulgat legis dicta tremenda suæ. (cens
Magnaq; pollicitus parenti præmia; pœnas
Omnibus indicit suppliciumq; reis.
Hinc æterna Dei mundo patefacta voluntas
Normaq; iusticiæ non violanda patet.
Tu quicunq; Deum vero reuereris amore,
Vt tua sit legi congrua vita vide.
Sed quoniam nemo plenè illi congruus vnquã
Extitit; hinc vitæ crimina disce tuæ.
Disce etiam quonã medio, quo principe, lapso
Sit tibi parta quies, sit tibi parta salus.
Huic fidens, diffide tuis virtutibus. vnum hoc
Ad cœli certum limina pandit iter.
At si sponte ruas laxato in crimina freno,
Aut merito Christi non tua nixa fides:
Te rabies patris ætherei te fulmina perdent,
Non sua contemni fert sacra iussa Deus.

SERPENS AENEVS.

CHRISTO CRV-
CIFIXO.

Hic etiam impietas, & diffidentia pœnis
Afficitur, ſummo præcipiente Deo.
Scilicet impatiens dum gens Ebrea laborum
Nauſeat æthereos iam ſaturata cibos:
Serpentes Deus igniuomos immittit, eorum
Afflatu & morſu plurima turba perit.
At precibus tamẽ indulgens Deus optimus, irã̃
Mox domuit, iuſtas continuitq́; manus.
Aereus hinc ſerpens Chriſti morientis imago
Erigitur, tantis certa medela malis.
Hunc quicunq; oculis, animoq́; videret anhelo,
Continuò ardenti vulnere liber erat.
Chriſte mali mors ſerpentis, quo captus Adamus
Mortis & exilij triſtis origo fuit.
Tu lapſi luis innocuus peccata parentis,
Et tua mors cunctis eſt noua vita pijs.
Da veræ vt fidei te contemplemur ocellis,
Nixaq́; ſit merito gloria noſtra tuo.
Huius vt indicio ſigni mens noſtra triumphet,
Victrici & ſtatuat pulcra tropbea manu.

Nun-

NVNCIVS HVMANITATIS CHRISTI.

DEI BENIGNITATI ET PHILANTHROPIAE ADMIRANDAE.

Quẽ Deus à primi promisit origine mundi,
Quem cupidi toties experiêre patres:
Que sacer Amosides nascentẽ è virgine vidit,
Et cecinit, summo labra mouente Deo:
En iam concipitur grauida genitricis in aluo,
Prodeat vt salua virginitate puer.
O lux festa, o lux æterna ad gaudia nata,
O lux angelicis concelebranda modis.
Factus homo Deus est, vt lapsi crimen Adami
Tolleret, anguinum conterereq; caput.
Redderet & nobis maiora prioribus vltro
Munera vt aligerum gloria nostra choro
Iam certet: namq; angelicam non induit ille
Naturam, vt carnem tristis Adame tuam.
Quis nũc quis potius nouus angelus esse laboret
Quã caro quã sanguis Christe benigne tuus?
Quam frater tuus Emanuel? quo glorior vno,
Me patrem summum certus habere Deum.
Quis iam nobilior, quis fortunatior illo est,
Cui frater Christus, cui Deus ipse pater?

Syno-

SYNODVS NOVI TE-
STAMENTI PRIMA.

FOEMINARVM SANCTIS-
SIMARVM IN PIETATE CONCORDIAE.

FOederis ista noui Synodus primaria, contra
Fermentum et fraudes est Pharisæe tuas.
Tu propria placare Deum virtute volebas,
Spem vitæ in meritis stulte locando tuis:
Ast duo fœmineæ sanctissima lumina gentis,
Mater Iohannis cum genitrice Dei,
Hæc contra statuunt, conclusum virginis aluo
Credenti columen confugiumq; reo.
Hunc edi in lucem votis ardentibus optant,
Lucifer & solem lætus adesse suum
Gestit Iohannes, grauida genitricis in aluo
Numine iam plenus, plenus amore Dei.
Agrege fœmineo Solymæi discite ciues,
A puero vitæ discite quæso viam.
Tu Pharisæe, licet magna comitante caterua
Incedas tumidus, tu Saducæe tace.
Fœmina prima necē mundo intulit, altera vi-
In qua spem meriti disce locare tui. (tam,
Sicut & hic Mariam sancta Elisabetha beatā
In Christum sola prædicat esse fide.

Nata-

NATALIS CHRISTI SERVATORIS.

DIVINITATI HVMANÆ, ET VIRGINITATI FOECVNDAE.

Hic genitrice prior casta puer editur aluo,
Maiestate Deus, corpore verus homo.
Verus homo; peccarat enim miserãdus Adamus,
Recte igitur pœnam qui toleraret homo est.
Sed quia solus homo rabiem sufferre parentis
Nec potuit iussis congruus esse Dei:
Facta est temperies miro pulcherrima nexu
Iusticiæ summi cum bonitate patris:
Filius ipse Dei tantas vt tolleret iras,
Fœcunda natus virginitate puer.
O mirandus amor: num nos nil tale merentes
Dignatur tanto mitis honore pater?
Vnigenam vt natum nostro postponat amori,
Viuere nos cupiens, hunc tolerare necem.
Salue sancte puer, multos optate per annos,
Salue Silo salus confugiumq́, pijs.
Emanuel salue, & frater pulcherrime Iesu,
Pro nobis serui factus imago Deus.
Iure equidem quicunq, tuis negat oscula cunis
Dignus is in rigidis Alpibus esse lapis.

IESVS CIR-
CVMCISVS.

SERVATORI OPTIMO PRO SVORVM SALVTE SERVIENTI.

Hîc Chriſto teneræ ſuprema cuticula glãdis
Scinditur; innocuo terra cruore rubet.
Scilicet ille ſui legem complere parentis
Debuit: & noſtro vulnera ferre loco:
Teſtariq; ſimul verum ſe ſemen Abrami
Illius ex ſera poſteritate ſatum.
Quin etiã eximiũ ſuper omnia nomina nomẽ
Accipit, æternæ ſigna ſalutis habens.
Omne genu cui ſe flectit: cui ſidera parent
Et mare: quo Sathanæ regia tota tremit:
Quo Chriſto ſacrata cohors exultat in vno:
Eq; illo vitam, non aliunde, petit.
O Ieſu, mellite puer, puer optime Ieſu,
Præſidium Ieſu confugiumq; meum,
Fama tui totum fac nominis impleat orbem,
Tamq; ſalutiferum nomen in omen eat.
Non ſeruatores alios gens improba quærat,
Sanguine contempto vulneribusq; tuis.
Denigq; fac ipſo nos in diſcrimine mortis
Nominis vi recreet gratia grata tui.

ADVENTVS MAGORVM.

GENTIVM LVCI.

NEc tantum Iudæa cohors nascentis Iesu
Nomine gaudebit vulneribusq; sacris.
Quando etiam gentes, stella ductrice, remotas
Aduocat ad nati basia læta Deus.
Ecce Magi Persas & regna Sabæa relinquunt,
Vt videant cunas optime Christe tuas.
Quas non inueniunt Solymis, quò duxerat illos
Relligio celebris, non noua stella, loci.
Quin ibi qui nosset pueri cunabula Christi,
O pudor, ô hominum somnia, nullus erat.
Bethla Magis adeunda fuit, pauperrima primo
Intuitu, at cunis aurea Christe tuis.
Hîc illum inueniunt. Solimæi discite ciues,
Discite ab externis gaudia vestra viris:
Thus, aurum, myrrhã; Domino, regiq; homini q;
Vni qui donant munera trina Deo.
Nec mora regressi latas Orientis in oras,
Amplificant regnum paruule Christe tuum.
Tu nostræ dux Christe viæ, tu stella salutis,
Non patere à cunis nos procul esse tuis.

INFANTICI-
DIVM.

VBERIBVS MATRVM CRVENTIS.

NOn pacẽ ſed dura crucis fert pondera ſecũ
Paruulus ætherea miſſus ab arce puer.
En ferus Herodes Sarbana crudelior ipſo,
Cum pueri regis mentio facta foret;
Mox furijs ardet, miſſoq; ſatellite, cunctos
Infantes duro durior enſe necat.
Turba ruunt, matrũq; ſinus ſcrutantur, et har-
Confodiunt ipſis pignora in vberibus. (pe
Illa iacent, hauſtoq; vomunt cum lacte cruorẽ.
Filioli & mater ſanguine tincta fugit.
Exoritur totis ingens vlulatus in agris,
Omnia & innocuo plena cruore fluunt.
Salucte illuſtres animæ, ſaluete tenelli
Flores, & primi gloria martyrij.
Vos teneras ceu turbo roſas, ſic impius ille
Suſtulit, & Chriſtum ſe iugulare putans.
Sed fruſtra: neq; enim quantũuis mẽbra laborẽt,
Fas cuiquam eſt capiti poſſe nocere Deo.
Aſſerit ille ſuos victor, tandemq; tyrannos,
Cum libet, infernis fulmine mergit aquis.

OBLATIO CHRISTI
IN TEMPLO.

OBOEDIENTIÆ CHRI-
STI PERFECTAE.

SIstitur hîc patri in tẽplo pulcherrima proles,
Iussaq́ dat veteri munera more parens.
Quiq́ futurus erat pro toto victima mundo
Innocua, atq́ omni victima labe carens;
Nostra labe nocens, & nostri debitor æris,
Non nisi mactato turiure liber abit.
Scilicet hîc etiam legi se subijcit vltro,
Tollat vt auxilio crimina nostra suo.
Aeterniq́ patris parendo mitiget iram,
Mundicie immundos purificetq́ sua.
Hunc Simeon tremulis gaudẽs amplectitur vl-
Hunc seruatorem protinus esse suum, (nis,
Quem teneat, foueatq́ arctis amplexibus, vnũ
In tenebris lumen gentibus esse canit.
Seq́ idco facili clausurum lumina somno,
Vnica cum dubij sit via visa pedis.
Lux lucis pie Christe tuis, & luminis auctor,
Lumina fac lucis sint diuturna tuæ.
Fac Simeonis iter duce te præeunte sequamur,
Te sine per tenebras deuia Christe via est.

IESVS AMISSVS ET INVENTVS IN TEMPLO.

DIVINITATI EMI-
CANTI.

ABſentem Ieſum preſſi anxietate parentes
In varijs quærunt, multa gemendo, locis.
Quem tandem inueniunt, magna cingente co-
In templo puerũ multa docere ſenes. (rona,
Scripta Prophetarũ ceu qui calleret ad vnguẽ,
Noſſet & æterni ſenſa animumq́; patris.
Mirantur, cunctiq́; puer doctoribus ipſis
Doctior hic quiſnã, qualis, & vnde rogant.
Ille autem patris ætherei cum iuſſa peregit;
Mox etiam matri ſubditus eſſe ſtudet.
Hanc colit, obſequiturq́; libens mãdata ferenti
Offenſasq́; omni ſedulitate cauet.
Te pudeat ſcelerate puer, qui dicta magiſtri
Reſpuis, aut nihili dicta paterna facis.
Quin potius venerare patres, venerare magi-
Tempora quo vitæ ſint diuturna tuæ. (ſtros,
Si tamen officium vel vox diuina iubebit,
Non ibi te pietas, non remorentur opes.
At tu care puer noſtris in cordibus hærens,
Amitti nullo te patiare modo.

Concio-

CONCIONES
BAPTISTAE.

AVRORÆ DIEI NVNCIAE.

QVi prius effœta, ceu præcurſurus, in aluo,
Et matrẽ, et puerum ſenſit adeſſe Deũ:
Nunc idem (puro noctem ceu lucifer aſtro
Terminat, & ſolem non procul eſſe monet)
Diſturbat tenebras: iter illi præparat: ipſum
Iuſticiæ ſolem lætus adeſſe docet.
Ite ait, & poſthac veteri deſiſtite vita,
Offendatq́; nouo crimine nemo Deum.
Arboris in ſterilis poſita eſt radice ſecuris,
Officijq́; poteſt quemq́; monere ſui.
Omnis flore carens, fructuq́; exſcinditur arbor,
Aeternoq́; igni conficienda perit.
Hoc agite, & veniam pronis expoſcite voris,
Fit precibus iuſti mitior ira Dei.
Quin digito monſtrat promiſſum cœlitus agnũ,
De bonitate Dei ne dubitare queant.
Præterea contemptor opum, contẽptor honorũ,
(Quàm rarũ hoc) alios quod docet ipſe facit.
Salue ſanctẽ Dei præco, ter maxime vates,
Quo maior toto nullus in orbe fuit.

Solè

BAPTISMVS CHRISTI.

SOLI IVSTICIÆ
EXORTO.

Hic Christus pura Iordanis tingitur vnda,
Exemplo; probat ſancta lauacra ſuo.
Atq; adeò inſtituit durantem in ſecula ritũ,
Vt quiſque à Chriſti nomine nomen habens
Sordibus impurum ſe faſſus, proluat iſtis,
Quas ille innocuus ſanctificauit, aquis.
Flumineas oculis equidẽ tantũ aſpicis vndas,
Nititur at Chriſti certa cruore fides.
Aeternamq; eius ſubmergi ſanguine mortem
Credit, & æternæ gaudia lucis adit.
Fœderis aſt huius magni pater arbiter orbis
Voce ſua primus teſtis, & auctor erat.
Ille polo clamat, meus hic eſt natus Ieſus,
Mirè delector cuius amore parens.
Hunc audite ducem, huic ſoli parete monenti,
Vnus hic ad cœli culmina pandet iter.
Filius ipſe aſtat, niueis quem protegit alis
Flaminis effigies blanda columba ſacri.
Chriſte ſalutari cũ nunc quoq; fonte lauamur,
Cum patre, cumq; pio flamine, cœpta rege.

Chri-

CHRISTVS TENTATVS A DIABOLO.

CHRISTO DIABOLI VICTORI.

VIx ablutus erat ſacro baptiſmate Chriſtus,
Numinis impulſu cum loca ſola petit.
Vt Sathanæ inſidijs tentatus, victor abiret,
Victricig; ſuis traderet arma manu.
Principio tibi longa fames, mitiſſime Ieſu,
Obijcitur probri ludibrijq; loco.
Tu ſermone Dei, non ſolo viuere pane
Ingeſtusq; cibis corpora noſtra probas.
Mox in ſublimis tecum faſtigia templi
Conſcendens, alijs te petit ille dolis.
Ergo age nate Dei, celſis delabere pinnis,
Es ſiquidem aligeris vnica cura tuis.
At Chriſtus contra: Dominũ tentare vetamur,
Mandatis, mutilat quæ tua turba, Dei.
Denigz thesauros offert, & regia ſceptra,
Ipſum ſi patrio Chriſtus honore colat.
Ille autem: ſcelerate procul te proripe Dæmon,
Non tu ſed ſolus dignus honore Deus.
Chriſtũ auſus tentare Sathã, tibi parceret? ergo
Hunc verbo, & vera vincere diſce fide.

NVPTIÆ IN CANA.

CHRISTO FAMILIARVM CVRATORI MVNIFICO.

QVãto coniugiũ Chriſtus dignetur amore,
Deuinctosq; toro qua tueatur ope;
Multa fidem faciunt: deſponſa è virgine ſupra
Naſcitur, hic ſponſis inclitus hoſpes adeſt:
Primaq; virtutum miranda exordia pandit,
Et ſponſi magno munere cœpta iuuat,
Dũ vino permutat aquas. quin comparat ipsũ
Se ſponſo, & ſponſam nos ait eſſe ſuam:
Quam curet, quã ſolus amet, quã diligat vnã,
Quæq; ipſum fido rurſus amore colat.
Ergo quis hoc auſit fœdus contemnere, cuius
Hic defenſorem ſe Deus ipſe probat.
Chriſte pijs ſpes coniugibus, ſpes rebus egenis,
Nunc quoq; tu nobis nobilis hoſpes ades.
Et properent quamuis cuncti diſcedere amici,
Tu ſine fine domus duxq; paterq; manes.
Coniugibusq; ſuos luctus in gaudia vertis,
Porrigis & faciles in pia vota manus.
Noſtra placet ſic vita Deo: quod dicere celebs
In medio poſitus mortis agone nequit.

MARTYRIVM
BAPTISTAE.

FIDEI PER FIDAE.

Baptista Herodem quod turpi insanus amore
Viueret, officij pro ratione monet,
Ille autẽ impatiens diuinum in vincula vatẽ
Conijcit, illicitos persequiturq; toros.
Quin epulum dat cognatis: saltansq; puella
Pœnam vbi debuerat præmia certa refert.
Hanc rex ipse mero, turpiq; incensus amore,
Qualiacunq; velit poscere dona iubet.
Hîc Thyas instinctu scelerate filia matris,
Audet Iohannis poscere virgo caput.
Si modo saltatrix virgo est, quæ munera virgo
Poscis? an hæc oculis virgo videre queat?
O maledicta parens, saltando perdere vates
Quæ natam illicito victa furore doces.
Rex scelerate etiam, læto qui pectore tristis
Hoc iusiurandum pondus habere iubes.
Tune libidinibus donas muliebribus illum
Quo maior toto nullus in orbe fuit?
O nimiũ fidum, sed tunc tantummodo, quando
Perfidia grauius fit scelus, ipsa fides.

LAZARVS BETHANI-
ENSIS RESVSCITATVS.

VITÆ AVCTORI EFFICACISSIMO.

EGregio Christus miracula claudere fine
Cum cuperet caræ limina Bethaniæ
Linquit, Iordanis superato & flumine, ripas
Bethabaræ incultas, & loca sola petit.
Nuncius hic illi tristes affertur ad aures,
De morbo, & gemitu Lazare mœste tuo.
Lazarus hic domino dilectos inter amicos,
Valde equidē paucos, summus et hospes erat.
Qui dū Christus abest volucri iā lumina mor-
Clauserat, & patrio more sepultus erat. (te
Nouerat hoc Christus, qui quarto denig; sole
Aduenit ad tumulos Lazare clause tuos.
Teq; putrescentem, miro inflammatus amore,
Euocat, & solitum limen inire iubet.
Scilicet haud poteras illo clamante tacere,
Præsente aut vita deditus esse neci.
Christe caput domitorq; necis, tibi pectore toto
Credere fac possim non trepidante fide.
Sic mihi non Sathanas non mors æterna noce-
Sic etiam in medio funere viuus ero. (bunt,

CHRISTI REGIVS IN VRBEM INGRESSVS.

REGI MANSVE-
TISSIMO.

ET iam tempus erat, pro rotovictima mundo
Quo fieret ſummi filius ille Dei.
Ergo venit Solymam, contempto vectus aſello,
Poſtremum hoc illi flebile paſcha fuit. (ſu
Quiſquis es hunc cantu gẽinatoꝝ excipe plau-
Sterne viam ramis, gramine, veſte, roſis.
Non horrendus adeſt ſæuo trepidante caballo,
Barbaricæq; illum non comitantur opes.
Eſt clemens, manſuetus, inops, et gaudia ſecũ
Aeterna & nunquam diſperitura refert.
Eſt rex iuſticiæ, qui nos placare parenti
Iuſticia potuit vulneribusq; ſuis.
Non hic curat opes, ornataq; munera verbis,
Quidquid habet gratis te quoq; habere iubet.
Tu modo dum fas eſt venientem ſuſcipe mitẽ,
Ne non ſuſcipiens experiare grauem.
Rideat interea mundus, ringatur auernus,
Addat & horrendis impia iuſſa minis.
Te tamen ex animo læti comitemur euntem,
Dicere cum pueris nos Oſianna iuuet.

POSTREMA CHRISTI
CVM APOSTOLIS COENA.

CÆLATO SECVLIS MYSTERIO.

HIc epulũ præbet Chriſtus, quod tẽpore longo
Cum deſiderio ſe cupiſſe refert.
Agnus hic ille Dei, qui mundi crimina tollit,
Mundus ob immundas traditus agnus oues.
Hic me carne ſua, et proprio dũ ſanguine paſcit
Summa mihi mortis dat monumenta ſuæ.
Qua grates tibi voce canam dulciſſime Ieſu?
Participem qui me corporis eſſe tui,
Effuſiq́ iubes diuino è corde cruoris,
Ecquid eo maius pignus amoris erit?
Vna eademq́ caro nam tecum, ſanguis, et unus
Et ſummi templum glorior eſſe Dei.
Non mihi iã Sathanas non mors æterna noce-
Forte velint Chriſto ni nocuiſſe meo. (bit,
Cuius ab optato nil me diuellet amore,
Vſq́ adeò inter nos fœdera firma manent.
Corpora ſunt eadem veluti; ſic rurſus eodem
E tumulis ſurgent glorificata modo.
Tu meus es, ſum Chriſte tuus; quis comparet iſti
Theſauro innumeras totius orbis opes?

CHRI-

CHRISTVS DISCIPVLIS PEDES ABLVIT.

HVMILITATI IN. AVDITAE.

IAmq; fames exĕpta cibis, et mensa remota est
Mox noua discipulis dat documenta Deus.
Cunctorum lauat ipse pedes, & siccat eosdem,
Vile ministerium nec subijsse pudet.
Quin exempla suis posthac imitanda ministris
Prȧbere officij se ratione docet.
Qui longum pede fessus iter confecit in æstu,
Liber vt à cunctis sordibus esse nequit:
Sic commissa sibi quicunq; negocia tractat
Publica; non omni crimine liber abit.
Has tu si maculas nolis cælare: sed illas
Exagites miris amplificesq; modis:
Ipse tibi, totiq; noces medicando cohorti,
Et mala quæ fuerant deteriora facis.
Quod si igitur dominus seruis se subijcit vltro,
Discipulisq; pedes si lauat ipse suis:
Quid seruos fecisse decet? num sordibus illi
Offensi, inter se mutua bella gerent?
Mutua vel potius dilectio vulnera condet?
Vulnera quæ melius non tetigisse fuit.

CHRI-

CHRISTVS IN OLIVE-
tis montanis orans & ſudans.

E.

COMMVNIVM DEBITO-
RVM GRAVITATI.

NOx erat, & Solymas à cœna deserit arces
Christus, oliueti notaq́; rura petit.
Hic illum scelerum nostrorum mole grauatum
Concutit & terret vindicis ira patris.
Hîc angore necis patri suspiria fundit,
Membraq́; sanguineo rore cruenta fluunt.
Terra madet, dominiq́; sui perfusa cruore
Ingemit, indignè crimina nostra ferens.
Scilicet hæc illi talem expressere cruorem,
Hæc illa horrendæ proxima causa necis.
Sæpe quis vnius sibi noxæ conscius, vltro
Intulit infestas corde tremente manus.
Quid faceret Christus? scelerũ sibi totius orbis
Conscius, & pœnas quas meruêre ferens.
Angelus hinc dominum missus solatur anhelũ,
Hinc repetit crebras filius ipse preces.
Quisquis es impauido designans crimina cor-
Iudicium hoc domini iusticiamq́; vide. (de,
Crimine si læsus nato non ille pepercit
An te peccantem posse latere putas?

CHRI-

CHRISTVS A IVDA PRODI-
tus & ab omnibus desertus, capitur.

DI.

INNOCENTIÆ PRO NO-
CENTIBVS TRADITAE.

Perfidus hic Iudas, multoq́ satellite cinctus,
Illita dat Domino basia felle suo.
Nomen amicitiæ præmittens, nomen honoris,
Sub quibus incautos fallere trita via est.
At Christus, quamuis uno prosternere verbo
Vim queat hostilem; vincula sponte subit.
Ne nos vincla ligent æterni carceris olim;
Compedibus rumpit vincula nostra suis.
Diffugiunt omnes, solusq́ relinquitur ille,
Cui tamen ætherea seruijt aula domus.
Non aliter lupus innocuũ fert dentibus agnũ,
Mox timor & reliquas dissipat acer oues.
Solus adest Petrus, prima qui turbidus ira
Irruit, & sæua concutit arma manu.
Petre manu, et gladio nũ te defendere Christũ,
Doctrinamq́ sacram vi retinere putas?
Falleris, ö nimium irato confise cerebro;
Non animi hoc sæui, sed patientis opus.
Non sceleris, verum fidei, cui gloria certa
Non occidendo sed moriendo venit.

CHRISTVS AB ANNA ET CAIPHA DELVSVS.

CERVÆ A CANIBVS AGITATAE.

CAptus ad infamẽ primo perducitur Annã,
Eius vbi colapho turgida mala crepat.
Sistitur & Caiphæ mox præsulis ante tribunal,
Qui Christum vi ficto tollere iure queat,
Venales subito testes producit, ab ipso
Crimina qui vero valde aliena ferunt.
Mox tamen ipse Deũ clara se voce fatetur,
Dicere vbi patris nomine iussus erat.
Infremit ex templo discissa veste sacerdos,
Arguit & mortis te bone Christe reum.
Hîc subito ter nosse negat tua nomina Petrus,
Qui prius vsq; adeo fidus amicus erat.
Illudunt reliqua captiuo nocte ministri,
Conspuit hic faciem, percutit ille genas.
Hic oculos velo obducens ferit ora, rogatq;,
Dic vates qui te verberat ecquis erat?
Barbam alius vellit: sic tota denicq; nocte
Ludibrium lixis pontificiq; fuit.
Christe tua pro laude iubes si quando vicissim
Fac animo excelso cuncta ferenda feram.

CHRISTVS CORAM PILA-

to accusatus mittitur Herodi.

INNOCENTIÆ SPE-
CTATISSIMAE.

VIx conſpectus erat diſcuſsis lucifer vmbris
Lucifer in Domini pallidus exequias:
Iam vigil, in medias conſuetus ſtertere luces,
Primores Caiphas conciliumq́ vocat.
Accuſatq́ virum innocuũ: quẽ protinus omnes
Eſſe aiunt mortis, ſupplicijq́ reum.
Hinc Pilate tuam ſubito pertractus in aulam,
Siſtitur, vt ſæua crimina morte luat.
Ille autem totã dum vult cognoſcere cauſam,
Sponte tor innocuum te pie Chriſte vocat.
Eximeretq́ libens vinclis, niſi mobile vulgus
Et procerum inſtarent pontificumq́ preces.
Hunc Herodi igitur captiuum mittit, vt ipſe
Hoc ſeſe ingrato liberet officio.
Exilit extemplo Chriſto veniente Tyrannus,
E celebri cupiens quærere multa viro.
At tu Chriſte ſiles; regali hinc ſindone tectus
Luderis, Auſonio redditus inde duci.
Sic hoſtes prius inter ſe iam rurſus amici
In cladem fiunt Chriſte cruente tuam.

CHRISTVS RETRACTVS

ad Pilatum flagris cæditur.

POntius vt Christū videt ad prætoria rursus
Adduci, trepido pectore mœstus erat.
Et quia mos fuerat, summi sub tempora festi
Vnus vt à vinclis liber abiret, ait:
Hos ego captiuos, Barabā Christumq́, videndos
Offero, vos vtrum vultis habere suis
Nexibus immunē. Barabas sed latro cruentus
Furtorum & cædis nomine vinctus erat.
Prætulit hunc Christo innocuo sæuissima turba,
Viuat ait Barabas, compede liber eat.
Hunc tantū crucifige, omnes, hunc tolle, precamur,
Illius interitū pignora nostra luant, (mur,
Dic scelerata cohors, quidnam commisit Iesus,
An non innumeris profuit ille modis?
Et nocuit nulli? cur nunc sicarius illo
Est potior? cuius crimina nota patent.
Tu Pilate etiam cur illum cædere flagris
Quem scis immunem talia ferre, potes?
Sed tua Christe mihi pepererunt flagra salutē,
Membraq́, vulneribus sunt mea sana tuis.

CHRISTVS PVRPVRATVS ET CORONATVS SPINIS.



PROBRIS ET LVDIBRIIS CHRISTI SERVATORIS.

Flagris cæsus erat, totoq́ ; è corpore Christi
Manabat sanies purpureusq́ ; cruor.
Pilati cum fœda cohors, atq ; aulica pubes,
Hunc simul Italicis vexat adorta probris.
Purpura vestis erat, paliuri spina coronam
Præbuit, & sceptrum vilis arundo fuit.
Cœlorum his ornant regem, pronisq́ ; salutant
Vultibus & flexo te bone Christe genu.
Sæpe etiam colaphi crepitant sub verbere malæ
Inquinat & tremulas fœda salina genas.
Continuum tuber caput est, & tempora crebris
Ictibus & pugnis sanguinolenta rubent.
Aulica sic placidum vexat lasciuia Christum,
Cui risus pietas, ludibriumq́ ; Deus.
Quam comes erecto sequitur petulantia naso,
Tinctaq́ ; scurrili scommata salsa ioco.
At tua spina pijs amaranthi è flore coronam,
Sceptraq́ ; siderei regis arundo tulit.
Est mihi parta tuis verissima gloria probris,
Gloria pro tantis sit tibi Christe bonis.

ECCE HOMO.

IRÆ ET GRATIÆ DIVINAE MONVMENTO.

POntius vt procerum posſit ſedare furorem
Horribili aſpectu vulneribusq; tuis;
Te propria pie Chriſte manu producit, & ecce
Ecce ait, hic madidus ſanguine qualis homo
Tu quoq; qualis homo fuerit ſeruator Ieſus (eſt?
Attentis oculis quæſo animisq; vide.
Non miſerabilior quiſquã, non turpior vllus,
Afflictusq; magis natus in orbe fuit.
Non equidẽ proprio meritus tot vulnera lapſu,
Vulnera ſed pro te talia totq; ferens.
Quin manibus, pugnoq; tuo percuſſus anhelat,
Hîc ictus etiam ſunt monumenta tui.
Hæc illa effigies irati expreſſa tonantis,
Hæc eſt ſupplicij triſtis imago tui.
Quin etiam effigies media bonitatis in ira,
Vllo qua maior tempore nulla fuit.
Tu gaudens vtramq; vide, & vibicibus iſtis
Ac ſpinis vera fidere diſce fide.
Diſce cruentata Chriſti ſub veſte latere,
Omni qua tectus tempore, tutus eris.

Pilatus

PILATVS NOCENTER
innocens abluit manus.

SVPERSTITIONI GENTILI.

Non ſatiata fuit, verũ inflãmata, videndo
Impia gens plagas Chriſte cruente tuas.
Tolle etenim clamat, mentitum interfice regẽ,
Non tibi parcenti Cæſar amicus erit.
Cæſaris audito, turbatus, nomine præſes,
Anteferens hominis regia ſceptra Deo;
Segꝫ videns fruſtra furioſæ obſiſtere turbæ,
Ne ſolus contra quam rapit amnis eat:
Obſequitur velut inuitus, traditꝫ necandum,
Quem ſæpe immeritò dixerat eſſe reum.
Et tamen vt iuſti culpam ſub imagine cælet,
Flumineo timidas abluit imbre manus.
O nimiũ facilem, ſcelus hoc non Tibridis vndæ
Non mare, non ingens eluet Oceanus.
Sanguineis opus hic alio de flumine riuis,
His tua ſi luſtres crimina, purus eris.
Tu recta nos ire via mitiſſime Ieſu,
Nulliusꝫ minis falſa probare ſine.
Magnatum valeant iræ, plebisꝫ ſuſurri,
Sit potior nobis vindicis ira Dei.

CHRI-

CHRISTVS CRVCEM BA-
iulans ad ſupplicium ducitur.

IM POTENTIÆ CRV-
DELITATIS PERMISSAE.

VT lupus exagitat raptos ab ouilibus agnos;
Sic Christum arbitrio turba profana suo
En rapit, imponitq; crucem, quam baiulus ipse
Deferat in mortis supplicijq; locum.
Mobilis è tota plebs passim effunditur vrbe,
Spectatumq; viri fata stupenda ruit.
Flent matres, sortemq; grauẽ miserãtur euntis,
Non sua quas Christus funera flere iubet:
Sed potius proprias animis euoluere clades,
Et ventura olim tempora mœsta queri.
Iamq; oppressus eras tantæ sub pondere molis,
Cum bene Cyrenes aduena promptus adest.
Qui partem tibi Christe crucis gestare coactus,
Admouit validas te præeunte manus.
Pone duo subeunt ad Golgatha fœda latrones,
Supplicij comites optime Christe tui.
Christe fac vt propriæ deploret crimina vitæ
Quilibet, & lachrymis damna futura leuet.
Subiectusq; cruci pede te patiente sequatur,
Tristitiæ pariter lætitiæq; comes.

Chri-

CHRISTVS CRVCI AFFIGITVR.

AGNO LVPIS ET LEONIBVS OBIECTO.

IAm pæne exanimis ſuperarat Golgatha Chriſtus,
Roboreæq́ trabis triſte iacebat onus.
Hic humeros nudum, nudũ omne à vertice corpus
Porrectæ, immanes, impoſuêre cruci.
Applicuêre etiam tranſuerſo brachia ligno,
Hinc atq́ hinc teneras confodiendo manus.
Mox auſi plantas clauo penetrare trabali,
Ictibus innumeris membra ſupina terunt.
Quin ſupra caput & nomẽ patriamq́ notarũt,
Quæq́ foret tantæ cauſa putanda necis.
Idq́ adeo lingua Ebræa, Græca atq́ Latina,
In quibus hoc etiam nunc celebratur opus.
Sic tandẽ erigitur, trabe conſpiciendus in alta,
Cœlum, terra, ſalũ, cuncta elementa ſtupent.
Ipſa gemit natura parens, ſol aureus olim
Pallet, & amiſſo lumine luna ſilet.
Sola hominis duro certantia pectora ferro
Immota, & ſaxo frigidiora manent.
Pro quibus ipſe vltro votis ardentibus orat,
Chriſte fac effuſas pondus habere preces.

CHRISTVS IN CRVCE PENDENS.



SVMMO SACERDOTI
PRO POPVLO LITANTI.

EVa nocens vetitũ decerpserat arbore pomũ,
Intulit hinc sæuas mors inimica manus.
Hic nouus optata producitur arbore fructus,
Mors morti, & cunctis vna medela malis.
Nobilis hæc arbor crux est, & nobile ramis
Germen habet, corpus Christe cruente tuum.
Hic medius cælumq; inter terramq; locatus,
Te cælo terram conciliare doces.
Latronesq; inter pendes, latronibus ipsis
Par flagris factus supplicioq; tuo:
Vt te pro miseris peccati & mole grauatis
Ostendas duræ pondera ferre necis.
Annuis his prono vultu, his tua brachia pan-
Primo vt Iudæos dextera blanda vocet: (dis,
Læuaq; mox gentes illis coniungat, vt in te
Vtraq; gens vero seruiat vna DEO.
Præterea spinis & virgis corpus apertum est,
Hinc tibi perpetuo gratia fonte fluit.
Nil clausum est, en ima patẽt tibi viscera Christi
Hæc capere ardenti tu modo disce fide. (sti,

CHRISTVS MORTVVS ET A CRVCE REFIXVS.

ET

INIMICIIS COM-POSITIS.

IAm ſuprema anima, ponens caput, exhalârat
Chriſtus, & horrendo terra tremore fremit.
Buſta patent, diſrumpuntur velamina templi,
Occupat & medium nox tenebroſa diem.
Scilicet interitu Chriſti olim clauſa ſepultis
Ianua ſiderei nunc patefacta poli eſt.
Iam rigidus Moſes legiſq; repagula ceſſant,
Pandit & æternæ ſe penetrale domus.
Iam plenè perfecta ſalus, nihil amplius addi
Poſtulat, en plenè turba redempta ſumus.
Nunc tandē Ioſephe veni, Nicodeme tenebras
Iam linque, & Chriſti corpora tolle tui.
Diffugiant alij, ſua robora magna profeſſi,
Diſcipuli lateant profuga turba tui.
Nunc fortes timidi ſuperēt, tumidosq; modeſti,
Et ſacra vel minimam ventilet aura fidem.
Chriſte etiā nunc ſumma gregis te fulcra relin-
Quod nimiū metuāt, aut nimiū ſapiāt. quūt,
Erige tu timidos, infunde latentibus æſtum,
Vincat & imbelli ſimplicitate fides.

SABBATVM CHRISTI IN SEPVLCHRO.

HOMINI MORTVO, DEO
viuenti, & inferorum expugnatori.

VIuus adhuc, mortisq; memor Ioſephus, in hor-
Condiderat patrijs hæc monumẽta ſibi. (tis
Quîs caperet placidã poſt fata peracta quietẽ,
Nullus adhuc illo marmore clauſus erat.
Huic myrrha benè conditum miſerabile corpus
Infert, lachrymulis proſequiturq; pijs.
Hæc extrema ſuo Nicodemus dona magiſtro
Attulerat fidei pignora certa ſuæ.
Fœmineis totus reſonat plangoribus hortus,
Spemq; metumq; inter pectora mœſta labãt.
Durate illuſtres animæ, confidite Chriſto,
Paſtor is infirmas fallere neſcit oues.
Ille, licet tumulos Phariſæus milite cingat,
Muniat & certis clauſa ſepulchra notis:
Diuina tamen illuſtris virtute reſurget,
Et ſtatuet lachrymis triſtitiæq; modum.
Interea exanimi concedite Sabbata Chriſto,
Donec & inferni vis ſuperata ruat.
Viue memor lethi, Chriſto ſeruire paratus,
Sabbata vt in tumulo mox rediuiuus agas.

RESVRRECTIO CHRISTI.

MVNDI, MORTIS, INFE-
rorumq; victori potentissimo.

TErtia lux aderat domita cũ morte resurgit
Christus, et inferno victor ab hoste redit.
Vincula non illũ, non mors, non claustra sepul-
Non vigiles armis detinuere suis. (cri,
Ille sua virtute omnes sublimior hostes
Obruit, & pedibus iam terit arma suis.
Educitq; pios tumulis, quos viuere secum,
Cœlestisq; iubet lucis honore frui.
Scilicet vt Christus, sic Christi signa secutus,
Quilibet hoc viuens tres habet orbe dies.
Prima dies crucis est, toto quæ tempore vitæ
Cum Christo cunctis est toleranda pijs.
Altera concedit tranquillam in morte quietẽ,
Sabbatha vt in tumuli marmore Christus a-
Tertia cũ Christo clausis nos euocat vrnis, (git.
Hac ego Paulino me præeunte canam.
Mœror abi, discede pauor, fuge culpa, ruat mors
Vita resurrexit, Christus in astra vocat.
Morte mea functus, mihi mortuus, & mihi vi-
Vt mors peccati sit mihi vita DEI. (ctor

ANGELI NVNCII RE-
SVRRECTIONIS CHRISTI.

ANGELORVM PHI-
LANTHROPIAE.

VIx tumulo exierat Christus, cũ plausibus æ-
Consonat, angelicos testis adesse choros. (ther
Qui celeres monumẽta petunt, & nomine no-
Gaudentes, mœstis nuncia læta ferunt. (stro
Scilicet aligeris, postquã hæc victoria parta est,
Iam cari, atq; adeo maxima cura sumus.
Hi verbis pauidos pellunt è corde timores,
Fœmineoq; gregi gaudia vera mouent.
Exultantq; ipsi, quod Christi munere nobis,
Post obitum, cœli sit reparata domus.
Quin etiam profugis, periuris, tristibus, ægris,
Hæc noua discipulis commemorare iubent.
Haud equidẽ offensi tam turpis crimine lapsus,
Sed memores iussi Christe colende tui.
Qui tenuem fidei scintillã haud respuis, & cui,
Sit quassata licet, vilis arundo placet.
Quiq; idem simili iam nos dignaris amore,
Tu quia propitius, non quia dignus ego.
Christe fac, angelica circũ vt plaudente corona
Hæc tua perpetua munera laude veham.

Christi

CHRISTVS APPARET
MARIAE MAGDALENAE.

T

CHRISTI REDIVIVI BENIGNITATI.

Fœmina prima necẽ ſibi primo attraxit in horto
Hinc morti et morbis nos quoq; prœda ſumus.
Hinc miſerandus Adã Paradiſo expulſus ober-
Exilij tolerans triſtitiæq; iugum. (rat,
Vltor adeſt Chriſtus, peccatrix fœmina primo
Quem videt exilij ſpemq; caputq; ſui.
Hic Paradiſiacis iterum nos ſiſtit in hortis,
Protinus & fratres nos ait eſſe ſuos.
Cur pie Chriſte tibi fratres nos dicis amicos?
Quos hoſtes potius dicere debueras.
Nos tibi tam varios noſtris inflximus ictus
Lapſibus, & propria vulnera mille manu.
Te profugi flagris mortiq; relinquimus atræ.
Ergo ſumus fratres qua ratione tui?
Hoc ſummæ bonitatis opus, veriq; fauoris,
Hinc ego pro pœnis præmia tanta fero.
Tu mihi ſi frater: ſummi quoq; rector Olympi
Iam pater eſt, meritis maxime Chriſte tuis.
Hoc patre non lœter? non tanto fratre triumphẽ?
Aeterna cunctis nobilitate prior.

Thomas

THOMAS INCRE-
DVLVS.

FIDEI NON OCV-
LATAE.

SEx vicibus prima Christus se luce videndũ
Diuersis dederat circumeundo locis.
Hac etiam, trepidis animis cũ multa timerent,
Discipulis clauso limine serus adest.
Solatusq́; omnes, verbis compellat amicis,
Illo absens Thomas tempore solus erat.
Qui rediens, cum discipuli sibi visa referrent;
Pernegat, & dici somnia vana putat.
Quin coram lustrare oculis tua vulnera, corã
Tangere vult, quæ tu credere Christe iubes.
Nec mora, Christus adest, & sese accommodat
Quæq; velit Thomã tãgere mẽbra sinit: (illi,
Desistat modo proposito, credatq; deinceps,
Constanti & certa, non modo visa, fide:
Ast oculis etiam quæ planè incognita, discat
Spe duce, veraci credere posse DEO.
O facilis bonitas, ò indulgentia Christi,
Qui quacunq; potest nos ratione iuuat.
Qui nos infirmos tolerat, qui more parentis
Propitij nævos dissimulare potest.

Ascen-

ASCENSVS CHRISTI
IN COELOS.

CHRISTO TRIVM-PHANTI.

IAm quadraginta post diruta tartara luces,
Discipulis Christus visus adesse fuit.
Quando illis mandata dedit, totumq; per orbẽ
Voce sua sacras spargere iussit opes:
Et cœli monstrare vias, quas protinus ille
Ingreditur, reliquo præuius ipse gregi.
Aligerum chorus exultat, noua carmina vates
Siderei citharis, pectine, voce canunt.
Excipiuntq; suum post tanta pericula regem,
Atq; triumphali tempora fronde ligant.
Alme tuũ nostrumq; patrẽ, qui Christe reuisis,
Primus & ad cœli limina pandis iter.
Verus homo, verusq; Deus, qui nomine nostro
Regis habes certas pontificisq; vices.
Qui pedibus subiecta tuis cum patre gubernas
Omnia, qui præsens es sine fine tuis:
Christe gregis caput ipse tui, non desere mẽbra,
Sincero quæ te corde fideq; colunt.
Fac capiti quandoq; suo iungantur, & vnà
Tecum viuificæ gaudia lucis agant.

SPIRITVS SANCTVS

Effusus in Apostolos.

SPIRITVI S. HOMINVM DEIFICATORI.

NOn opis humanæ, cœlestis semina verbi
Spargere, vim contra terribilesq; minas.
Non opis humanæ tantos perferre labores
Fortiter, & nullo vera silere metu.
Desuper afflatus patris omnipotentibus auris
Fidus in hoc tanto munere solus erit.
Hoc igitur mox discipulos spiramine donat
Christus, vbi cœli sede receptus erat.
Hoc duce verus amor, concordia mutua regnat,
Hoc doctore rudes sæpe stupenda docent.
Hic linguas creat ardentes, atq; ignea corda,
Cœlestiq; hominum pectora luce replet.
Hoc duce nõ trepidãt animi, sed vulnera ridẽt,
Cunctaq; pro Christi laude ferenda, ferunt.
Hæc illa est requies hominum, cœliq; voluptas,
Hæc illa in sanctis vis animosa viris.
Qua sine per tenebras horrẽda nocte vagamur
Qua sine terrena pectora labe rigent.
Spiritus alme tuo nostras quoq; lumine mentes
Illustra, & monitis dirige cœpta tuis.

DIVERSA APOSTOLORVM ITINERA.

LVCI IN TENEBRIS ORIENTI.

I Am fortes animis, cœlesti & robore pleni,
Flaminis instinctu præsidioq; sacri,
Discipuli totum passim sparguntur in orbem,
Doctrinæ & iaciunt semina læta suæ.
Et quos vna fides animis iungebat, eosdem
Finitimis pietas non sinit esse locis.
Ille Austrũ petit, hic Boream, septemq; triones,
Hic adit Eoos, ille adit hesperios.
Denicq; nulla adeo gens dissita, cuius in oras
Non penetret missi vox animosa gregis.
Scilicet è toto collecta Ecclesia mundo,
Vnanimi verum laudet vt ore Deum:
Lotaq; fonte sacro, & Christi confisa cruore,
In cœlo æternæ gaudia pacis agat.
Contra perpetuis incredula turba tenebris
Obruta, supplicij pondera dura ferat.
Christe tuos per discipulos, vatesq; fideles,
Nunc quoq; qui cœli nobile pandis iter.
Da dociles animos, da corda fidelia nobis,
Doctoresq; tui flaminis igne iuua.

ADVENTVS CHRISTI AD IVDICIVM.

T I

CHRISTO VIVORVM ET
Mortuorum Iudici Iustißimo.

ETiã tẽpus erit, magni quo machina mundi
Corruet, igniuomo ſubijcienda rogo.
Chriſtus in ætherea ueniens cum nube ſedebit,
Horrendosq́; dabit buccina clara ſonos.
Ad quos è tumulis egreſſa cadauera, Chriſti
Conuenient clarum iudicis ante thronum.
Hîc ille bircorum grege caſtos eximet agnos,
Mox quibus in cœlo gaudia mille dabit.
Contra bircos fœdosq́; capros in tartara merget,
Nulla ubi perpetui meta doloris erit.
Chriſte fac æterni memor hîc ut temporis, omni
Momento, verè ſobrius eſſe queam.
Aduentumq́; tuum cordato pectore lætus
Semper ut expectem non trepidante fide.
Tu modo Chriſte veni, finemq́; doloribus adde,
Peccati ut tandem pondere liber eam.
Perſonet illa meas vox mirè optabilis aures
Vos mecum in cœli regna venite pij.
Hîc tibi perpetuas meliori carmine grates,
Agminis angelici pars quoracunq; canam:

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-145966-p0106-2

NATHANIS CHYTRAEI PRECVM ET MEDITATIONVM SACRARVM.

AD ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES ET DOMINOS, D. CHRISTOPHORVM ET D CAROLVM, FS. Duces Megapolenſes, Principes Henetorum, comites Suerini, Dominos Roſtochij & Stargardiæ, &c. dominos ſuos clementiſſimos.

LIBER SECVNDVS.

QVi genus æquatis primo virtutib. æuo,
O duo Mænalij ſidera clara poli.
Accipite hæc faciles veſtri monumẽta Chytræi,
Qui vos ex animo non ſimulante colit.
Quiq; ea quæ veſtras Varni dictauit ad undas,
Perpetuo vobis eſſe ſacrata cupit.
Illa minuta quidẽ gemino nec principe digna
Agnoſcit meriti conſcius ipſe ſui:

Cum tamen æternum celebrent hæc omnia regē
Quo nihil immenſo maius in orbe fuit:
Cur eadē quis magna neget? quādo inſuper illis
Et veſtræ accedunt nomina clara domus.
Ex ſe vt quod nequeunt, poſſint accepta referre
Auſpicijs veſtris, præſidioq; Dei.

AD

AD CHRISTVM CRV-CIFIXVM.

CVm tua contẽplor dulciſſime vulnera Ieſu,
Mulcarũq; caput, perfuſaq; mẽbra cruore,
Horreſco, crineſq; rigent, vox faucibus hæret.
Nam patet hîc rabies irati iuſta parentis
In ſcelus, inq; meæ lapſus & crimina vitæ:
Quæ nulla ratione alia, quàm ſanguine Chriſti,
Deleri potuiſſe liquet, pudet ergo pigetq;
vſq; adeo ſecuri animi mentisq; profanæ,
Cum tantus rigor, & tantæ ſint numinis iræ.
Rurſum vbi me tandẽ collegi, et rectius iſthæc
Omnia perpendo: miræ bonitatis imago
Hic aperit ſeſe, & ſummum teſtatur amorem
Aeterni patris, proprio qui parcere nato
Noluerit, quò me ſeruum, nil tale merentem,
Aſſereret, natiq; daret mihi funere vitam.
Hic ille eſt, videñ vt ſuffixus robore pendet
Erecto, terramq; inter cœlumq; locatus?
Scilicet vt medium cœlo ſe iungere terram,
Supplicioq; ſuum nobis placare parentem
Edoceat: cernis lacerato è corpore ſanguis

Vt fluat? hunc illi angores mortis q̃ propinquæ
Immensus pauor excussit: num tempora spinis
Deformata vides? amaranthi è flore corona
Hinc capiti contexta meo est: quin brachia pan-
Attrahit ad sese diuisi à partibus orbis (dens
Iudæos gentes q̃ omnes, quibus omnibus offert
Amplexus, omnes q̃ in se sibi fœdere certo
Diuersos q̃ greges vno coniungit ouili.
Præterea nihil in Christo tibi clauditur, omne
Cor patet, est transfixa caro, quin intima cernis
Viscera, quid dubitas, riuos & flumina amoris
Tot cumulata vidēs? quid te mēs conscia turbat
Quid scelus excruciat? quid mortis spicula ter-
Quid Satanas angit? Christi cōfide cruori, (rēt
Et lucē in tenebris, vitam q̃ in morte videbis.

AD CHRISTVM SERVATOREM.

SImendicus egens speciosas murice vestes
Induere, & rutilos dextra ostentare lapillos,

Et

Et placuiſſe velit ſanis in corpore membris:
Huicne ſtipẽ dare quis cupiet? quis credet ege-
At ſi idem laceros centones induat: ore (nũ?
Palleat: obſcœno manantia vulnera tabo
Si obïjciat populis, & caſſos lumine vultus:
Tum melius ſibi conſuluit: tum rectius ille
Rem faciet: tangetq́ hominũ miſeratio mẽtes.
Sic ò Chriſte puer non me tibi laudibus orno:
Non meritũ tibi iacto meũ: non picta ſepulchræ
Oſtento, excuſoq́ atros in pectore nævos.
Saucius, immũdus, mutilus, nudusq́ tremensq́
Eṇ iaceo, inenioq́ nihil tibi poſſe placere
Quod puer alme putẽ, aut iuſtas auertere pœ-
Gratuita bonitate tua confido, meisq́ (nas,
Diffido meritis: tu tandem tolle iacentem,
Scintillamq́ ægræ fidei diuinitus auge.
Tu quodcunq́ deeſt proni mihi numinis aura
Vis ſimul & præſtare potes, tibi gloria ſoli.

ALIVD AD EVNDEM.

Hoſpitio

Hospitio in misero infido plenoq; laborum
Hîc sumus: est nulli certa parata domus.
Certa domus cœlum est & patria vera piorum.
Quisquis es, hanc certa quærere disce via.
Vnica certa & vera via est seruator Iesus,
Solus hic ad cœli limina pandit iter.
Hoc duce carpe viam, qui fallere nescit, & idē
Est via duxq; suis ipsaq; vita pijs.
Te monstra bone Christe mihi, ne deuius errem,
Ingressumq; tua me rege Christe manu.
Me comitare ipso donec sub limine sistar,
Te sine lux tenebræ, deuia Christe via est.

GALLINA GLOCCIENS
Christo comparata.

NAta meæ Gallina domi pulcherrima salue,
Salue iterū, volucres inter nonvltima, cui
Seruator mūdi dulci sub imagine Christus (se
Assimilat, gentiq; suæ solamina præstat.
Tu gloccire soles, mox oua recentia læto
Amplexu, viuoq; foues perfusa calore.

Imme-

Immemor interea propriæ quandoq́. salutis.
At postquam tandem de pullescentibus ouis
Progenies noua multiplici variata colore
Prodijt in lucem, candente putamine rupto;
Heu qua lætitia exultas: quam sedula matris
Fungeris officio: quanto exardescis amore,
Cum pipire audis teneros tua pignora fœtus:
Ipsa famis patiens, quib. illa alimẽta ministras
Rostellis quæ molliculis perrundere possint.
Tu dux es querulis, eadem comitata vagantes
Prosequeris, fidiq́. vocas singultibus oris
Longius errantes: alarum tegmine fessos
Algentesq́. tegis: toleras, petulantius illi
Si quid committãt: tenerũ hic caput exerit alis,
Ille tuo tergo inuolitat, fugit ille vocantem:
Nec tamen idcirco fidæ tu matris amorem
Imminuis, quin si vultur si miluius instet,
Hunc dudũ speculata vides, hũc impigra rostro,
Vnguibus, alarumq́. repellis verbere victrix,
Non impune tuis quisquam se cortibus inferr
Vt pullis noceat. quin iam comitaris adultos,
Multa timens, & multa ferens, præsaga futuri,

Quod

Quod tibi si quis eos manibus subtraxit iniquis
Tum gemis, & querulis ædes singultib. imples.
Non aliter bone Christe tuos, tua pignora, cœtus
Ipse vocas, & sanguinea baptismatis vnda,
Flaminis & sancti ætherea virtute renatos
Diligis, interea vitæ propriæq; salutis
Immemor, ipse tuos trepida te voce vocantes
Exaudis placidus, tu verbi lacte tenellos
Sustenias, dum paulatim noua robora sumant:
Tu turbam aligeram miseris seruire, vagantes
Custodire iubes, tu si quis deuius erret,
Obseruas procul, & reuocas, recipisq; sequentẽ:
Cunctaq; condonans vitæ delicta prioris,
Protegis hunc vmbra manuũ, contraq; feroces
Dæmonis insultus diuino numine præstas
Incolumem; quẽ nemo tuis, licet improbus, vn-
Eripiet manibus: custos quin fidus adulto (quã
Grandæuoq; manes supremi ad funeris horam,
Donec siderei tecum petat atria cœli.
Te tamen inuito si quis se deuius vltro
Proripiat, tantoq; duci parere recuset,
In sua damna ruens; lacrymas tũ fundis, & illũ

Vſq; adeo cæcum eſſe doles, hoſtemq; benignus
Multa mones, ſtultisq; iubes deſiſtere cæptis.
O mirandus amor, nullo memorabilis ore,
O immenſa Dei bonitas, ò dulcis imago.
Chriſte tui gallina gregis, nos aſſere pullos,
Omnibus inuiſos, deſertos, omnium egenos.
Nos tege remigio alarum, procul ire vagantes
Non ſine, da patulas, querulis ſingultibus aures
Vna ſalus pie Chriſte tuo ſperare ſalutem
Præſidio; quo ſi tu me digneris inermem,
Nulla tyrannorum rabies in vertice crinem
Vel minimũ mihi curuabit, te ſtãte triumpho.

AD PETRVM MEMMIVM DE VIOLA.

OPtanti dudũ violas, doctiſſime Memmi,
Tu mihi ſuauiloquo depictas carmine tandem
Miſiſti, quo iam grates tibi nomine dico,
Atq; adeo veras violas, paucosq; remitto
Verſiculos, quos tu placido bonus accipe vultu.
Inclyte flos, foliisq; nitens, viola inclyta ſalue

O florum princeps, & primi filia veris,
Atq; eadem mortis fidiſſima nuncia Chriſti,
Quem tua vis, & ſuauis odor, geminiq; colores
Dulcibus aſſimilant, hoc ipſo tempore, ſignis.
Tu flos exiguus, ſed grato dulcis odore
Serpis humi, nec te ſuperas extollis in auras,
Sæpe etiam calcata pedum ſub mole gemiſcis:
Non aliter noſtræ vindex auctorq; ſalutis
Chriſtus homo ſpretus, ſpretũ ſibi colligit agmẽ,
Quod pedib. mala turba premit, vexãtq; Tyran
Sed veluti violæ gratum flos ſpirat odorem (ni.
Dum premitur: ſic & Chriſtus, Chriſtũq; ſecuti
Viribus augentur tacitis, fragrantia fundunt
Vota ſimul lachrymasq; Deo, cum duriter illis
Impietas ſcelerata nocet, mortemq; minatur.
Sed croceus violæ quid apex, quid ſtamina flo-
Aurea, purpureisq; comis veſtita docebunt? (ris
Scilicet ille hominum ſeruator, corpore in vno
Verus homo & Deus eſt, rutuli color inclytus au
Sidera cæleſtesq; refert nitidiſſimus ignes: (ri
Purpura, vibices & liuida vulnera pingit:
Quæ pie Chriſte tibi plagæ ſentesq; ciebant,

In

In mundo, nullum violans, violandus vbiq;
Quando morareris, nostræ spes vna salutis.
Quid tibi quod numerũ foliorũ, vulnera Chri-
Exæquare vides; sacro quæ tinĉta cruore, (sti
In quocumq; loco quæcumq; pericula vexent,
Optatum medicamẽ habent, pelluntq; dolores,
Et requiem curis & gaudia vera reducunt.
Non secus ac violæ flores medicamina cordi
Certa ferunt, nimiosq; leuant in febribus æstus,
Deliquijsq; animi mira virtute medentur.
Has igitur violas oculis quando aspicis, ipsum
Seruatorem hominũ, læta simul aspice mente,
Propitiumq; voca. doctrix mihi grata quotãnis
Vere futura nouo, viola ò pulcherrima salue,
Perpetuumq; vale, toto flos nobilis æuo.

Rostochij Idib. Martij Anno
M. D. L X X.

MEDITATIONVM

DE ECLIPSI SOLIS QVÆ

Anno 1563. Mensis Iunij die 20, hora 4 postmeridiana conspiciebatur.

PHœbus vt ingentẽ diffuso lumine mundũ
Recreat, & radio viuificante fouet:
Sic sol iusticiæ Christus, nos lumine verbi,
Diuinaq; sui cognitione beat.
Et sol vt medio vultus obuelat Olympo,
In cruce dum Christus sanguinolentus obit:
Ne scelus aspiciat mundi, tantosq; furores,
Duraq; Iudæos fata manere notet:
Sic quoq; securi iam nunc petulantia mundi
Turpiter extincta dum pietate furit:
Occulit in summo faciem sol tristis Olympo,
Et tenebris pœnas non procul esse monet.
Scilicet informi diuina oracula nocte
Obruta, dissidijs & labefacta ruent:
Concutiet truculenta suum Bellona flagellum,
Regnaq; mutata conditione gement.

Cresces

Creſcet & annonæ preciũ, miſerandaq́; multos
Terribilem coget peſtis adire necem.
Cynthius ipſe domo iam relligionis abiuit,
Quam cum falcigero cauda draconis habet.
Inq́; domo mortis, radios lucemq́; priorem
Contegit, & vultu deficiente latet.
Callidus huic fraudum ſtructor Cyllenius aſtat,
Furtaq́; cum technis inſidioſa ſtruit.
Impius & Phœbum quadrato cuſpide Manors
Aſpiciens, diras euomit ore minas.
Vt reor hæc cœli facies poſituſq́;, Periclis
Tempore, quo Phœbum Cynthia texit, erat.
Nam dira cum peſte famẽ, ſtragemq́; cruentam
Bellaq́; Thucydides eſſe ſecuta refert.
Talia ſigna Deus nobis proponit, vt iram
Ipſe ſuam mundo iudiciumq́; probet.
Quæ quis vana putant, ſe mox erraſſe videbunt,
Mixta vbi cum turpi damna pudore ferent.
Ergo Deum pietas, ſanctæq́; modeſtia vitæ,
Et ſtudeant caſtæ conciliare preces.
Officijq́; ſui quiuis ratione laboret,
Ingenijq́; Deo dedicet acta ſui.

Sic ille oblitus ſcelerum mala noxia tollet,
Atq; opus ad laudem diriget omne ſuam.

DE PLENILVNIO ECLIPTICO ANNO 1570. Febr. 20. H. 5.

HEi mihi, quis randē finis, quæ mera laborū
Exſpectanda pijs? totus iam cladibus orbis
Obrutus eſt: varijs ſunt omnia plena periclis,
Omnia plena malis: & adhuc maiora minātur;
Credere quis potuit? funeſto ſidera vultu.
Aſpice cum Phœbus ſe merſerit, aſpice cælū,
Hic vbi pes leuus Nemeæi & ſigna Leonis
Aſtrææq; caput fulgent, retroq; meantis
Stella rubens Martis; luctantem hic aſpice lunā,
Aſpice priuatam radijs, proq; ore ſereno
Sanguineis nigram maculis, viridiq; cruore.
Hei mihi cur toties miſerando hoc tēpore vultū
Sol niger obuelat? cur fati conſcia luna
Atratum toties ſumit cum ſanguine velum,

Lucis

Lucis & aſpectum miſeris mortalibus auferri?
Fallor an hæc noſtram deſignant omnia labem,
Nos cæci excutimus diuinæ munera lucis,
Et tenebris immerſi atris, noctiq́ profundæ
Laxamus ſceleri frenos, & recta monentum
Conſilia abijcimus. cæleſtis lumina verbi
Turba furens odijs, grex ambitione ſuperbus,
Paulatim obſcurant nebulis: pietatis amorem
Vindictæ cupidis dum velũ cordibus obdunt:
Contemptũq́ vltro virtutũ & numinis augẽt:
Turbantes rixis animos, & litibus orbem.
Hoc ne ſit atratam cælo deducere lunam,
Et fidei radios tenebroſæ immergere nocti,
Ipſe vide, & precib. ſummũ ſine patre parentẽ
Aſſiduus placare ſtude; quid namq́ minentur
Defectus ſolis varij, lunæq́ labores,
Quas homini acceleret clades, mũdoq́ ruinas,
Si dubites, exempla docent. contagio peſtis,
Atra fames, morbi, clades & bella per orbem
Ante licet regnent, vt creſcere poſſe negares,
Incrementa tamẽ commoto à numine ſument.
Heu quas terra ferax, quas cultanoualia plagas

Insuper accipient: quos seditiosa dolores
Turba feret: quæ dãna manent addicta Miner-
Pectora: quã rapidè dirum Bellona flagellũ (uæ
Concutiet: quã sæpe etiã capita alta tremiscent,
Optabuntq́; uiro sæuam per uulnera mortem
Opperere, & nimio finem accelerare dolori.
Quin totidẽ mala quadrupedes querulasq́; uo-
Aëre pestifero affligent: ò pectora cæca, (lucres
O læuas hominum mentes, qui spernitis iram
Numinis, astrorumq́; minas, nec creditis instãs
Iudicium properare adeo, mundiq́; ruentis
Interitum. uolat ille dies pernicibus alis,
Et citius quam forte putes, te uindice pœna
Opprimet, & stygijs cruciandũ sedibus abdet.
Ergo pij, patrio mentem conuertite cœlo,
Expurgate animi labes, & poscite ueram
Delictis ueniam, precibusq́; auertite pœnas,
Dum licet, & miseri uitales carpitis auras,
Et ratio tempusq́; sinunt. sic ille priorum
Oblitus scelerum, facili placabilis ore
Ignoscet: rabidam clementia molliet iram,
Molliet, & patria pœnam bonitate remittet.

Nos

Nos quoq; sidereo patris indulgentia cœlo
Inferet, & sanctos inter diuosq; locabit.

PRO FELICI CONIVGIO PRECES.

SAncte parens rerum, fœdæq; libidinis vltor
Maxime, qui castus non nisi casta probas.
Qui sanctas thalami leges & fœdera, primus
Sanxisti, in prima conditione Deus.
Qui te sincera pietate colentibus, ipse
Pronubus, vxores conciliare soles.
Illarumq; suis sic iungere corda maritis,
Vna duos vt mens copulet, vna fides.
En ego te iuuenis florentibus integer annis
Inuoco, tu nostras suscipe quæso preces.
Sunt tibi nota meæ vestigia lubrica vitæ,
Est notum infirmæ debile carnis opus.
Da mihi consortem vitæ pater optime talem,
Cum qua maiori te pietate colam.
Cum qua concessæ degam sic tempora vitæ,
Vt placeant oculis omnia nostra tuis.

Sed bona cœlesti contingit munere coniunx,
Et datur æterno non nisi dante Deo.
O fortunatum tali qui munere diues,
Transigit innocuos lætus ouansq́ dies.
Infortunatum cui contigit improba coniunx,
Non dolor inferni durior esse potest.
Ergo parens imos penetrans in pectore sensus,
O Deus, in toto quem latet orbe nihil.
Tu mihi prouideas, talẽ mihi delige sponsam,
Quæ primo vera te pietate colat.
Non ego Zelotypus si te plus diligat illa,
Non amor hoc nobis gratior vllus erit.
Si te semper amet, non oderit illa maritum,
Hic amor est vitæ fons & origo piæ.
Virtutes ex hoc reliquæ longo agmine surgunt,
Est quibus vnanimi cara puella viro.
Hinc pudor, & sincera fides, hinc vincula pacis,
Hinc veniunt licito gaudia mille toro.
Sed non fortuito cuiuis ea contigit vxor,
Et valet hic hominis prouida cura parum.
Casturum labor iste precum, summiq́ Tonantis
Hîc primum bonitas occupat alma locum.

Sæpè

Sæpè aliquis proprijs multos quæsiuit in annos
Viribus vxorem quam putat esse probam.
Illa sed æterni cruciatus causa marito
Extitit, & domibus sæpe ruina fuit.
At quanto melius nato ducturus herili
Isaaco sponsam talia seruus agit,
Auspicium à domino felix dum poscit, & illi
Impetrat amplexus pulchra Rebecca tuos.
Cuius ad exemplũ supplex tua numina posco,
Porrige tu faciles in mea vota manus.
Solus amicorum dubias tu dirige mentes,
Tu monstra rectum quo gradiantur iter.
Tu rege moratam, quæcunq; sit illa, puellam,
Nostraq; sidereo flamine corda liga.
Vnanimi sic voce tibi cum coniuge grates,
Totius hic vitæ tempore lætus agam.

AD CONVIVIVM NVPTIALE CHRISTVM INVITAT.

Inuito nunc ad gaudia,
Vt moris, nuptialia,

Ciues,

Ciues, amicos, hoſpites,
Iuuenes, ſenes, puellulas.
At tu mei connubij
Patrone, rector & caput,
O Chriſte primus inter hos
Poſtremus & ſis hoſpites.
Præſente te lætiſſima
Sponſis videntur omnia,
Abſente te inaniſſima
Mundi arguuntur gaudia.
Dignare quæſo pauperis
Limen ſubire culminis,
Interq; lectos hoſpites
Locum tenere principem.
Quin te velimus plurimas
Vmbras venientem adducere,
Vmbras vocamus angelos,
Pij miniſtros agminis:
Vocamus & concordiam,
Summiq; cultum numinis,
Fidem, preces, conſtantiam
In perferendis triſtibus.

Tu post peracta prandia,
Licet recedant cæteri,
Quo quemq; res vocant: tamen
O Christe mecum permane.
Mane hospes optatissime,
Votis vocate ardentibus,
Sis promus & condus meæ,
Reiq; dux domesticæ.
Aquæ sic tristes induens
Meri sapores melleos,
Et plura quo sint tristia,
Hoc plura cernam gaudia.
Sic gratias agam tibi,
Dum vita me breuis sinet,
Tibiq; præcones, iacens,
Pro me, relinquam liberos.
O Christe quæso pauperis
Ne sperne limen culminis,
O Christe primus inter hos
Postremus & sis hospites.

MEDITATIONVM AD STVDIOSOS PIETATIS IN ACADEMIA ROSTOchiana, cum Sannazarij Lamentationem de MORTE CHRISTI explicaturum se illis significaret.

HActenus ingenuas Flacci lyra suauiter au-
Detinuit, varios docta ciere modos. (res
At iam tempus adest multò grauiora requirēs,
Quodq; Poëtarum plectra silere iubet.
Ni rebus modulata sacris, nostræq; saluti
Auctori & meritis sint bone Christe tuis.
Hæc est illa dies, mortem pro sontibus insons
Qua tulit ætherei filius ille patris.
O scelerum vis, ò nostræ vis maxima culpæ,
Offenduntnè adeo crimina nostra Deum?
Infligant vt Christe tuo fera vulnera cordi?
Qui Deus & mundi rector & auctor eras.
Si nato non ira tuo non dextra pepercit,
Sed voluit vastæ pondera ferre crucis;
Quis cum fulmineæ rabies incanduit iræ,
Ausit iuste parens obuius ire tibi?

Quem

Quẽ non vindicib. perdat tua dextera flãmis,
Inuisum & stygijs mox caput abdat aquis?
Sed natus tulit ista tuus, tuq́ immemor iræ,
Mitis es, & patria nos bonitate iuuas.
Qua grates tibi voce canam, seruator Iesu?
Concilias iustum qui mihi sponte patrem.
Abiectumq́ leuas diri me faucibus orci,
Et das stelliferæ regna tenere domus.
O miranda fides. ego sum qui sæua peregi
Crimina, tu pœnas optime Christe feres?
Me me qui feci, spinam clauosq́ trabales,
Me, decuit rigidæ pondera ferre crucis:
At tu plus nimio largus, cum fœnore soluis
Quod legi & iußis debeo cumq́ tuis.
O miranda dei bonitas, en iustus & insons,
Iniusto fuerant quæ toleranda, tulit.
En bonus ipse, mali quæ crimina sæua merẽtur,
En Dominus serui facta nefanda luit.
Quid dicã vlterius? quod me plus Christus ama
Quã se, quã superæ regna paterna domus. (uit
O mirandus amor: quid ego? nũ rector Olympi
Me quoq́ plus nato curat amatq́ suos.

Hunc

Hunc hominem misera voluit tellure vagari:
Me voluit rutuli templa subire poli.
Hunc voluit virgasq́; pati, mortemq́; cruentã:
Viuere me longos & sine fine dies.
Impius es, durisq́; rigens è cautibus ortus,
Vulnera si Christi non tua corda mouent.
Quæ tibi si mecum placeat, celebrata, tueri,
Carmine, Parthenopes quod pia Musa dedit.
Cras ades, octauam quando sol aureus horam
Aduehet, in solito, grex studiose, loco.

QVERELA DE MISERO STATV ECCLESIÆ NOSTRI TEMPORIS.

O Aeterne Deus, quantis oppressa ruinis
Gens tua, quã miserè dilacerata gemit.
Scilicet extremi veniunt iam temporis anni,
Fulmina sunt iræ quo metuenda tuæ.
Doctores seductorum, patresq́; latronum
Pectora iam, spreto iure fideq́;, gerunt.
Pastores quîs cura tui mandatur ouilis,
Exuperant ipsos iam feritate lupos.

Custo-

Custodire suos vigili quos mente decebat,
Iam perdunt miserum proditione gregem.
Qui defensorum titulis & nomine gaudent,
Ipsis peiores hostibus esse liquet.
O Deus, ò dilecte parens, quo tempore? quando?
Quando iudicij desinet ira tui?

CONSOLATIO CALVMNIIS OPPONENDA, AD GEORgium Fabricium Chemnicensem hospitem & præceptorem suum.

QVam perfidum iam sæculum
Ingrata quam sint tempora,
Vel hinc patet, quod pessima
Bonis refertur gratia.
Apis labores sustinet,
Sed parta fucus diripit,
Huic feruntur præmia,
Illi labor fit durior.

Fucata iam Calumnia
Vbiq; regnat gentium,
Illius & mendacijs
Afflicta luget Veritas.
Liuore candor vincitur,
Nocet fideli perfidus.
Agunt boni si quid benè,
Laudem mali in se transferunt.
Quisquis meretur optima,
Affligitur iam peßimè:
Iam quando peccant improbi,
Culpam bonis mox imputant.
Sic templa fœdè polluens,
Aulasq; turbans principum,
Et qui medetur his malis,
Parem merentur gratiam.
Tu Fabrici doctißime
Idem experiris innocens,
Iudæ dolosis artibus
Tibi nocere dum ſtudent.
Durum quidem Calumnia
Prudentibus quoq; est onus,

Cordisq; robur frangitur
Mendacijs fortissimi.
Certos habet sed terminos,
Breuesq; fines possidet
Mendax ministra Dæmonis
Nocens bonis Calumnia.
Inuicta sed stat Veritas,
Confisa Christo vindice,
Et læditur quo sæpius,
Eo nitescit pulchrius.
Ignauus à præsepibus
Fucus fugatur spiculis,
Apesq; pro laboribus
Quandoq; præmium ferunt.
Ingrata sed sint secula
Tuo labori Fabrici;
Futura certè præmia
Isthæc tibi non aufferent.
Deus creator omnium
Cor inspicit mortalium,
Iustusq; iudex omnibus
AEquam feret sententiam.

Est perfidorum gloria
Fugacibus par flosculis,
Tormenta mox perennia
Ferent futuro sæculo.
Sunt parua momentaneæ
Afflictionis tempora,
Sunt sempiternæ maxima
Vitæ piorum gaudia.
Meo quidem solatio
Non indigere te scio,
Quem recta conscientia
Fides q; firma recreat.
Iustus tamen quæ me dolor,
Et debita obseruantia
Coëgit ad te scribere,
Tu pauca consules boni.

IN EOS QVI FLOREM

iuuentutis Diabolo, & feces senectutis
Deo consecrant.

DVm mihi totius pars labitur optima vitæ,
Iam Venus & vinũ sint mea cura, refers.

Tunc

Tum ſatis eſt, cum canus ero, me dedere ſacris,
Tunc pius & tremulo pectore ſanctus ero.
Quid facis inſanus? nitido cum flore iuuentus
Num Sathanæ, & ſenij ſex erit apta Deo?
Sit procul hoc: primis potius te ſedulus annis
Da Chriſto, & precibus cum pietate vaca.
Cui roſa dulce micans primo cũ vere negatur,
Arida non illi ſpina placere poteſt.

MEDITATIONIS DOMINICAE AD D. Eberhardum Ouermannum V. OPT.

FInito dum nũc veteri nouus incipit annus,
Docte vir, & ſacri Dux Eberharde chori.
Has tibi mitto preces, gratæ pro munere ſtrenæ.
Conueniunt vitæ talia dona tuæ:
Quin eadẽ mihi conueniũt, tu namq; docendo
Aſt ego ſubmiſſo carmine laudo Deum.
Principio his anni placato numine votis,
Illius & felix poſt modo finis erit.

Possideant alij multos cum fœnore nummos,
Aut teneant valida regia sceptra manu:
Ditior ille sacri laudat qui facta tonantis,
Ditior ille preces qui bene fundet, erit.
O pater ætherei fulgentia sidera cœli
Qui regis, & veri fons & origo boni es,
Propter & vnigenã, natum de virgine, Christũ,
Filiolos dicis nos pater esse tuos:
Quiq́ iubes homines à te bona cuncta precari,
Hisq́ potes solus ferre rogatus opem:
Huc ades, & miseras natorum percipe voces,
Quodq́ potes, cerium pondus habere iube.
O pater in miseris, pater ò charissime, terris,
Viuimus hei nati turba misella tui.
Hic sumus extorres, nec pristina regna tenemus,
Nos premit exilij seruitijq́ iugum.
Da pater vt quondam terrena mole relicta,
In cœlo patrias possideamus opes.
Dum tamen in misera nobis tellure manendũ
Sanctificent homines nomẽ vbiq́ tuũ. (est,
Fac sacra spargantur diuini semina verbi,
Fac iuxta hoc omni tempore viuat homo.

Docta-

Doctores tu pelle malos, turpesq; magistros
Corrumpunt verbi qui sacra dona tui.
Adueniant tua regna Deus, tibi collige cœtum,
Qui tua iussa fide non dubitante colat.
Et nos magne tuos semper rex esse ministros,
Et pariter regni membra fac esse tui.
Tu sathanæ sæuosq; hominũ compesce furores,
Regno qui cupiunt sæpe nocere tuo.
Vltimus ille dies veniat cito, maxime Christe,
Est graue iudicium quo subiturus homo.
Tunc tua regna Deus iusti sine fine tenebunt,
Impietas pœnas non redimenda lucet.
Regnet & in terris semper tua Christe volũtas,
Regnat vt æthereis inuiolata thronis.
Rebus in aduersis homines, rebusq; secundis,
Obseruent legis iussa seuera tuæ.
Cumq; premis meritis populos, pater optime, pœ
Impositũ tolerent fac patienter onus. (nis,
In phlegetontæis pereat gens impia flammis,
Quæq; voluntati sunt inimica tuæ.
Et quia multa nimis mortalis vita requirit,
Care pater soboli des alimenta tuæ.

Floreat in noſtris ſemper pax aurea terris,
Sint inimicitiæ, ſint mala bella procul.
Proferat alma ſuas tellus cum fœnore fruges,
Firmaq́, conſuetum corpora robur alat.
Tu patriam, patriæq́, duces, tu templa ſcholasq́,
Tu tege præſidijs mœnia noſtra tuis.
Dicere perpetuas tranquillo vt tempore grates,
Tutius & poſſint te celebrare tui.
O pater immundæ lapſus non aſpice vitæ,
Reprime iuſtitiæ tela ſeuera tuæ.
Vita hominum miſerè peccati labe notata eſt,
Vita hominũ plena eſt crimine, plena malis.
Hæc ignoſce tuæ pater ò cariſſime genti,
Tu quia propitius, non quia dignus ego.
Filius ipſe tuus propria nos morte redemit,
Nos & in æthereas tranſtulit ipſe plagas.
Debita nos alijs ex corde remittimus vltro.
Rurſus & ad veniam turba parata ſumus.
Dæmonis infirmas nunquam tentatio mentes,
Vexet, & ad ſtygios nos trahat arte lacus.
Semper nos tua dextra tegat, Sathanãq́, ferocẽ
Pellat, vt afflatus nos regat aura tui.

Ne

Ne mens cæca tuo faciat contraria verbo,
Et sic in pœnas exitiumq́ ruat.
E miseræ Deus alme malis nos eripe vitæ,
Nominis & patrij, mi pater, esto memor.
Mi pater esto memor nostri, iustumq́ furorem
Comprime, ne Sathanas nos sine fine premat.
Et cum summa dies supremaq́ venerit hora,
Spiritus & fugiet corporis ossa mei.
Respice me miti, pater ò blandissime, vultu,
Exere siderea de regione manum.
Huic animã cõmendo meã, quã suscipe, dextræ
Semper vt auxilio tuta sit illa tuæ.
Hæc quia cũcta iubes à te bona Christe precari,
Christe tuis verax & sine fraude Deus:
Credimus has certò te suscepisse querelas,
Et firmum nostras pondus habere preces.
Christe accẽde nouos languẽti in pectore motus
Inq́ tua crescat cognitione fides,
Sic tibi magnanimo credentes pectore, vocem
Addemus fidei non dubitantis, Amen.

MEDITATIONVM IN SACRA BIBLIA.

THesaurus magni liber hic est maximus or
Vincit & innumeras totius orbis opes (bis
Hunc reuerẽter amet, relegatq; hũc sedulus ille,
Qui cupit angelici templa subire chori.
Hic se vera quies, hîc se sincera voluptas
Cordibus insinuat, cura laborq; fugit.

PRO IACOBO MONAIO VRATISLAVIENSI, VIRO Optimo, in Gallias proficiscente.

DVm Iacobe procul placido digressus Elistro
Quassa peris varijs Gallica regna modis:
Quid tibi tam caro capiti precer? vndiq; bellis
Oppida vastari Belgica nonne vides?
Triste per insidias iter est & militis enses,
Difficilemq; aditũ Sequana clausus habet.

Siste

Siſte pedem, ſi fata ſinunt: & rectius eſſe,
Quam laudi, vitæ conſuluiſſe puta.
Si tamen vſq; adeo tantos vrgere labores
Perplacet, & cœptum nil remoratur iter.
Vade bonis auibus, Chriſto duce, cuius amore
Tutus erat princeps nominis ille tui
Iſacides, exul patrijs cum cederet agris,
Effugiens fratris noxia tela ſui.
Ille comes tibi perpetuus ſi deſuper adſit,
Vis tibi nulla poteſt, nulla nocere manus.
Si videare etiam ſitus in diſcrimine mortis,
Ille poteſt lateri proximus eſſe tuo.
Ceu tuus Iſacides in Chriſti amplexibus hæret,
Auxilij quando ſpem procul eſſe putat.
Funde preces, confide Deo, procedito cautè,
Semper & hoc ipſo præſide tutus eris.

SVMENTIS CORPVS
& ſanguinem Domini, Meditatio.

TVrpatus ſanie & tabo plagisq; cruentis
Saucius, ante tuos optime Chriſte pedes

En

En iaceo miſer, & nulli miſerabilis, vno
Te medico inq; tuo ſanguine ſanus ero.
Sed quis ego, tam confidens? vas fictile tantum,
Totaq; criminibus ſordida maſſa meis.
Quæ viuẽs vagor vt fumi vel pulueris vmbra,
Et moriens tandem vermibus eſca cado.
Tu Deus & ſummo par maieſtate parenti es,
Quid tibi cum fumo, puluere, labe, luto?
Vis dicam? permultum equidẽ. tu corporis ipſe
Pars noſtri es, noſtrum corpus & oſſa ferens.
Tu de carne mea caro, tu de ſanguine noſtro
Sanguis es, & frater maxime Chriſte meus.
Tu plagas mortemq; crucis pro me quoq; paſſus,
Me quoq; lauiſti ſanguinis imbre tui.
Præterea corpusq; tuum ſacrumq; cruorem
Dulcia vis animæ ferre alimenta meæ.
Hæc ego percepi monimentũ & pignus amoris
Fraterni, & meriti Chriſte benigne tui.
Cur igitur me proijceres, aut cur ego ſolus
Non conſors meriti ſim pie Chriſte tui.
Chriſte tui conſors meriti ſine fine manebo,
Quantumuis ſathanas & caro ſtulta fremãt.

En

En habeo pignus forti, quo pectore nitor,
Hoc mihi vel summi muneris instar erit.

ALIA EODEM TEMPORE.

Ecquis ego? quid promeritus? felicior ecquid
Sum Moyse, & patrib. Christe benigne pijs?
Ecquis ego? quid promeritus? felicior ecquid
Zachæo & mensis sum pia Martha tuis?
Nam Moysi patribusq; pijs te cernere nunquam
Concessum est: vt nos Biblia sacra docent.
Zachæo & Marthæ tantum conuiua fuisti,
Non spernens humilis tecta subire casæ:
Nunc vltro mihi te rerum pulcherrimus offers,
Nunc non conuiua es sed cibus ipse mihi.
O amor, ò omni bonitas mirabilis æuo,
O anima, ò tali pascere læta cibo.
Gaudentes extende manus, pudor eminus absit
Sume age iam vitæ pabula certa tuæ.
Quæ tibi non tauri non hirci corpora præbent,
Sed seruatoris membra cruenta tui.

Quid

Quid ceſſas? cum tantus amor, tã prona voluntas
Te vocet ad Chriſti fercula grata tui. (tas
O cibus ætherea verè virtute beatus,
Qui ſanat veteris priſtina damna cibi.
O homines etiam nunc omni ex parte beatos,
Eſca quibus rerum conditor eſſe cupit.

PRECES ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS IN CONgreſſibus Philoſophicis.

CHriſte Deus, fons doctrinæ, ſapientia mũdi
VNica, ſidereo profers qui mitis Olympo
Notitiam patris æterni, vitamq; perennem:
Solus & ingenuas, patronus idoneus, artes,
Cumq; ſcholis vrbes & templa domosq; tueris.
Quis tibi pro ſummis dignas perſoluere grates
Muneribus queat? inter nos quod lumina verbi,
Quæ tua iuſſa colant, & te reuerenter adorent,
Agmina conſeruas, ſummi quibus atria cæli
Donabis miſeræ poſt dura pericula vitæ:

Quod

Quod linguas, artesq; sacras, Ecclesia quarum
Auxilio viget, instauras: & in vrbe Rosarum
Hospitium studijs gratum concedis, vt olim
Thesbitæ, cum tota fame Iudæa periret,
Littore Sidonio sedem victumq; dedisti.
Et quamuis varias mereantur crimina pœnas,
Quod dextræ tamẽ alma tuæ nos protegit vmbra
Vincit & innumeros hominũ tua gratia lapsus.
O soboles patris æterni, dulcissime Iesu,
Tu rege cœlesti mortalia pectora motu,
Vt tibi pro tantis præconia debita donis
Perpetuo dicant. studiorum protege lucem
Accensam, rectæ quæ norma & regula vitæ est,
Munus & ex ipso venit admirabile cœlo.
Dirige curriculum mortalis flebile vitæ,
Luce Deus verboq; tuo; tibi dicere grata,
Et facere, æthereo vt pleni possimus amore,
Et superi tecum fastigia scandere cœli.
Hos etiam iuuenes caste tua iussa sequentes,
Sacra magisterij quibus imponenda corona est,
Cum Sophiæ studijs solerti mente vacarint:
Tu rege promisso diuini numine flatus,

Vt tua nobiſcum celebrent benefacta, tibiq́;
Grata per immẽſum fiat quã plurima mundũ.

GRATIARVM ACTIO ET PRECES PRO CVSTODIA Angelorum.

TOto Deus optime grates
Lætus tibi pectore dico,
Quod flammea turba miniſtrat
Miſero mihi, meq́; tuetur.
O terq́; quaterq́; beatos,
Magni quibus arbiter orbis
Tam pulchra luce micantes
Voluit ſeruire miniſtros.
Sathanæ furor imminet omni
Mihi tempore, ſedulus ille
Noctesq́; diesq́; vagatur,
Rabido vt me deuoret ore.
Animus cum corpore noſter
Iam dudum extinctus obiſſet:

Niſi

Nisi cunctis angelus horis
Mihi duxq; comesq; fuisset.
Totum Draco sæuus in orbem
Odijs immanibus ardet,
Cupiens sacra templa domosq;
Et vertere funditus vrbes.
Quod si non angelus amplo
Defenderet agmine facto,
Populum fidosq; ministros,
Hominum quis tutus abiret?
Igitur pro munere tanto,
Tenui tibi carmine grates
Hodiernæ tempore lucis,
Cunctis dicemus & annis.
Duce te sic Christe deinceps
Viuam, vt chorus ille libenter
Adsit mihi, meq; gubernet,
Nec eum mea crimina pellant.
Facili sic carmine quondam,
Cœlesti sede receptus,
Cantu præeuntibus illis,
Tecum celebrabo parentem.

MEDITATIONVM

ΘΥΜΕ ΒΛΕΨΟΝ ΑΝΩ.

Non hic certa domus non propria tecta parã
Quid propriũ fluxis rebus ineſſe queat?
Nuper erat ſoceri domus hæc, mors abſtulit illũ,
Cumq́; hodie mea ſit, cras erit alterius.
Surſum igitur mens ægra vide magni atria cœ-
Hic te certa domus propria tecta manent. (li-
(tur,

IN SVVM OECONO-MVM CHRISTVM ſeruatorem.

Svm tenuis, modiciſq́; opib. ſed iacto parentẽ
Qui magnas Cræſi vincere poſſit opes.
Quis pater hic? cæli æternus terræq́; creator,
Qui nunquam natos ſiuit egere ſuos.
Quos patrio affectu curat, queis proſpicit ille,
Perpetuoq́; ſuis quæ bona præſtet habet.
Qui nunquam ſibi fidentem iuſtumq́; fefellit,
Semper inexhauſta ſed dedit omne manu.

Cur

Cur igitur tibi diffidam pater optime rerum,
Cum tu certarum sis mihi condus opum.
Quas mihi quãdo libet nunquã pater alme ne-
Sed mihi quid prosit quid noceatue vides (gasti
Perge equidẽ pater alme, tuũ nec desere munus
Oeconomus nostræ tu pater esto domus.
Et largire mihi quando quantumq́ libebit,
Intrepidamq́ simul cœlitus adde fidem.
Nam parre te nunquam cura vexabor inani,
Diuite te nunquam prorsus egenus ero.

FIDES CHRISTIANA DEO VERE CREDENS.

CRedere si patri certo matriq́ solemus,
Si graue principibus fidere nolle nefas:
Inter & humanæ commercia publica vitæ,
Si mortalis habent dicta caduca fidem:
Cur ego veraci & nostro cœliq́ parenti
Cur ego non credam maxime Christe tibi?
Qui nunquam fallis, qui semper vera locutus,
Mendaces stygijs opprimis vltor aquis.

MEDITATIONVM SVPPLICIVM IESV CHRISTI SERVATORIS, AD Bernhardum à Mencingen, adolescentem nobilissimum, domesticum suum.

CHriste Deus, qui secretæ penetralia mentis
Aspicis, etmundũ dextra omnipotẽte gubernas,
Huc ades, ætherea q̃ libens mihi suffice vires,
Dicturo laudes q̃ tuas mortem q̃ cruentam.
Tu quoq; tu mecum, iuuenis carissime, plena
(Nam mihi conuictu sub limine iungeris vno)
Concipe mente Deum, nostris q̃ accede querelis,
Et precibus lachrymis q̃ pijs pia carmina misce.
Nam quoties Christi q̃ comas, & liuida spinis
Tempora, fædatas q̃ genas, barbã q̃ reuulsam,
Quando oculos video extantes, turgẽtia labra,
Distractas q̃ manus, laniata q̃ corpora flagris,
Cum latus effossum meditor, clauos q̃ trabales,
Costarum q̃ simul seriem, venas q̃ tumentes
Dinumero: tũ corda stupent, tũ faucibus hæret
Vox ægra, & sicco suffixa est lingua palato,

Auxilio

Auxilio niſi Chriſte tuo mihi robora præſtes.
Eheu quam ſtupido mortalia corda veterno
Occæcata rigent? quam parui maxima fiunt
Crimina? quæ glacies innata eſt mentibus? om=
Excuſare ſcelus, nulli emendare laborant: (nes
Impietas toto latè dominatur in orbe.
Sed tamen hæc ſummo potuit deducere cœlo
Maiorem ſuperis ipſis, perq́ omnia patri
Aequalem natum: noſtro qui nomine pœnas
Solueret, & mortem miſerā pro ſontibus inſons
Horrendo exitio, & mundo trepidante, ſubirer.
Non pecudū fibræ, non mors, non angelus vllus,
Non peſtis, non atra fames, non mille laborum
Morborumq́ greges, non maxima deniq́ virtus
Sanctorum, non diluuium, quo concidit orbis
Submerſus, iuſtam potuit placare parentis
Irati rabiem, ſonteſq́ exſoluere pœnis:
Aeterno ni rege ſatus, rex ætheris ipſe,
Noſtra ſibi ſcelera imponẽs, lapſusq́ nefandos,
Sponte precatoris pro nobis munere functus,
Indueret miſeram mortali in corpore formam,
Et roſeo veterum ſcelus exitiale parentum

Sanguine dilueret, pro cunctis deditus vnus
Supplicio, diræq́, neci, tumuloq́, retentus.
O miseram, cæcoq́, nimis sub pectore mentẽ,
O densas animi tenebras, adeone potentem
Offendunt peccata DEVM? tam duriter ille,
Quod nihili securo animo nos pendimus ipsi,
Excipit vnigenam nostro pro crimine natum?
Sanctę parẽs rerũ, quis nã tua maxima facta
Indagare queat? quis sanctam edisćere mentẽ?
Tune bonus nocuis, lapso & placabilis orbi es,
Innocuumq́, vides lethali angore trementem,
Vsq́, adeo miseris natum succumbere pœnis?
Ille vt totius scelerum sibi conscius orbis,
Deficiat penè exanimis, sudore cruento
Fœdus, & horrendo secum certamine luctans:
Cui simile heu nullis vnquã certabitur annis.
Ipse indignatur cœlato lumine Phœbus:
Cynthia se maculis pulloq́, obuelat amictu:
Terra tremit: mare terrificis se fluctibus implet:
Omnia sidereum repetunt elementa magistrũ.
At tu blande parens dilecti ad funera nati
Conniuens, nullis precibus nullisq́, querelis

Flecte-

Flecteris immotus: sic stat sententia, Christum
Subijcere horrendis nostro pro crimine pœnis.
Tantus amor generis lapsi, tàm prona voluntas,
Alterius nostris damno cauisse periclis,
Et miseris reserare alti sacraria cœli.
O immane nefas scelerum, sic ne illa piari,
Non alia ratione queunt? ò numinis ardens
O mirandus amor. nostris postponere natum
Cladibus ipse parens voluit, nil tale merentem?
Nos viles animas tantone amplexus amore est
Rex cœli, æterna rex maiestate verendus?
O diras iterum pœnas, quas obruta flammis
Sentiet impietas, pedibus quæ vulnera Christi
Conculcat, scelerũq; omnes sibi laxat habenas.
Sit tibi laus æterne Deus, sine tempore grates
Perpetuo, qui me diri de faucibus orci
Eripis indignum, tibi gloria Christe ruentis
Seruator mundi, nostro qui nomine cœlum
Linquere, & immanes voluisti ferre dolores,
Vt vitæ via iam dudum mihi clausa paterer.
Tu quoq; sidereo recrea mihi fomite pectus
Spiritus alme, tuo sine lumine plena tenebris

Mens riget, & cæno veluti demersa laborat.
Discute cœlesti nostrum tu luce veternum,
Vt semper mea vita tuis sit consona iussis,
Supplicijq́; memor Christi, persoluere grates
Et canere æterno nunquam tibi desinat æuo.

IN MVSÆVM SVVM.

HOc ego musæum precibus studijsq́; dicatũ
Extruxi, vt paruũ me quoq; parua decẽt:
Optime Christe faue studio nostroq; labori,
Me rege præsidio consilijsq́; tuis.
Fac nihil hic mediter, scribã, dicãue, legamue,
Quod non & laudi seruiat omne tuæ.

IN IDEM.

IAm studiorum aliam tandẽ mihi deligo sedẽ,
Post vbi me libris inuigilare iuuat.
Christe faue cœptisq́; meis, fidoq; labori,
Me rege perpetuo flaminis igne tui.

Vt tibi grata, tuas tantum spectantia laudes
Hic discam, auxilijs perficiamq; tuis.
Inprimis nostros metam contingere fastos
Fas sit, & extremas imposuisse manus.
Tu comes es tu dux operis, tua gloria cuius
Vnica scribendi causa caputq; fuit.
Tu quoq; finis eris, læto quem cernere vultu
Si liceat tandem, te præeunte mihi:
Tunc tibi perpetuas venturo tempore grates
Hic & in æthereamox regione canam.

AMICIS DELINQVENTIBVS IGNOSCENDVM.

Qvi mare quot guttas habeat, quot littus arenas,
Quotq; pili capitis, qui numerare potest:
Idem etiam nævos & nostræ crimina vitæ,
Idem etiam domino debita scire queat.
Tot tamen & tantos lapsus orantibus ille
Condonat, miseris gratuitoq; favet.
Vulneribus nati solis placatus, & almo
Sanguine, quo sordes abluit ipse reo.

Chirographũq; simul Sarbanæ, quo nostra notan
Crimina dispungens non supereſſe ſinit. (tur
Sit tibi laus æterne Deus pro munere tanto,
Meq; iuua miſerum flaminis igne tui.
Vt nunquã ingratus videar, ſemperq; vicissim
Ad veniam pronus ſim maneamq; meis.
Cum mihi gratuito tot millia condonaris,
Cur adeo in fratrem ſaxea corda geram?

IN CONCIONEM DE EVERSIONE IEROSOLYMAE.

VErtat vt Impietas Solymã cũ ciuibus, vrbẽ
Iſta ſalutari concio voce docet.
Quisquis es, in melius vitã conuerte, Deumq;
Dum licet ardenti corde fideq; cole.
Ciuibus ille ſuis ſi non domuiq; pepercit;
An tibi peccanti parcere velle putas?

PHARISÆVS ET PVBLICANVS.

EN procul ad limẽ feriens ſtat pectora man-
Tollere nõ oculos auſus ad aſtra ſuos. (ceps
Turgi-

Turgidus ast ſacram tendit Phariſæus ad aram,
Cumq́; oculis geminas erigit ecce manus.
Ille ſcelus damnat proprium, peccata fatetur,
Propitiumq́; ſibi poſtulat eſſe Deum.
Hic tumidum tumidis vltro ſermonibus vtrẽ
Inflat, & in meritis ſpem locat ipſe ſuis.
Credere quis potuit? nitidam ſpectabilis aram
Qui petit, à ſacro limine ſpretus abit.
Ille procul ſtans præ foribus, ſeptusq́; tenebris,
Cernitur, & Chriſto iudice iuſtus abit.
Non placet ille Deo, qui non ſibi diſplicet ipſi,
Qui placet ipſe ſibi, non placet ille Deo.

AD MENDICVM.

ACcipe quod dono pro re tibi munus egeno,
Nec mihi dic grates, quas ego dico tibi.
Præmia tanta Deus nam cum promiſerit illi,
Qui miſero gelidæ pocula donat aquæ:
Plus mihi donat inops inopi quã dono petenti,
Fœnora pro tenui maxima ſorte ferens.

Sum-

MEDITATIONVM SVMMVM LEGIS MANDATVM.

QVi tua iussa Deus qui scriptã sanguine le
Impleat, hei toto nullus in orbe fuit. (gẽ
Non facta hæc solũ sed mentẽ animũq; requirũt
Sontibus & stygiæ damna minantur aquæ.
Peccator pereat: patet en culpa; ergo perimus
Quotquot in hoc mundi viuimus exilio.
Sed medium sese Dauidis filius offert,
Filius ætherei dulcis imago patris.
Sanguine conscriptã delens qui sanguine legẽ,
Participes meriti nos iubet esse sui.
Hunc mens ægravide, cũ spes tibi deficit omnis
Hic tibi certa quies, hic tibi parta salus.

DECALOGVS EX GRÆCO NAZIANZENI.

IPse decẽ insculpsit deus has in marmore leges,
Quisquis es, has insculpe imis sub pectore fibris
Non alios agnosce deos, honor vnius vnus.

Non

Non ſtatuas ſenſu vacuas animiq́ locato.
Numinis immenſi nec abutere nomine fruſtra.
Parua & magna pio ſemper cole Sabbata cultu.
Felix ſi meritos patribus perſoluis honores.
Inde nefas manuum, cædem, lectosq́ alienos,
Furtaq́ perfidioſa, dolos fuge teſtis iniqui,
Non alienorum tibi ſit funeſta libido.

PRECES ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS IN CONgreſſibus Theologicis.

Quis tibi pro bonitate tua, pro muncre tãto,
Magne parens rerum dignas perſoluere grates,
Quis celebrare ſatis, mundi pater optime, poſſit
Virtutem laudesq́ tuas? tu maximus ille es,
Qui nos in medijs defendis amasq́ periclis,
Doctrinæ monumenta tuæ qui ſpargis in orbẽ,
Doctoresq́ bonos cœleſti munere mittis,
Paſtores oculosq́ gregis, qui templa ſcholasq́
Erudiant, multosq́ pios ad ſidera ducant.
Nec minus æternas toto tibi pectore grates

Dici-

Dicimus, in tanto peſtis bellique tumultu
Nobile Varniadum quod tu colis ipſe Roſetum,
Inſtauras q̃ ſcholas, vbi vox cœleſtis & artes,
Quis potuit ſperare? vigent: Academia læto
Flore reuiuiſcit; Roſa ſpinas inter obortas
Emicat, & fragrans paſſim per Baltica gratũ
Littora finitimis q̃ locis diffundit odorem.
Templorum doctor tu primus & vltimus, ipſe
Hos quoq̃ doctores cœleſti luce guberna,
Vt tibi grata, tuas tantum ſpectantia laudes
Dicant & faciant. Roſei tu membra Lycei,
Et noſtram defende Roſam, ſpinas q̃ minantes
Diſcute, in alueolos & apes mel dulce legẽtes
Aſſere propitius, fucos veſpas q̃ repelle.
Hoc tibi ſumme parens æternas nomine grates
Semper agã, dũ lingua mihi dũ vita manebit.

SVPERBVS ET HVMILIS.

Est duplex genus hic hominũ, pars altera cri
Erigit, & celeri tendit ad alta gradu (ſtas
Altera

Altera pars humilis placidè se deïcit ipsam,
Et solum excelsum prædicat esse Deum.
Hanc Deus extollit plerumq́, & regibus æquat,
Illam è sublimi pellit ad ima gradu.
Vtra ergo pars consuluit sibi rectius? an non
Est humili melius delituisse loco.
Quid cristas tollis, fastuq́, tumescis inani?
Tollere spreta videns deïcere alta Deum.

EX NAZIANZENO
DE BRVITATE ET INcertitudine vitæ.

(luctus,

OMnia sunt hominũ labor hic, sunt omnia
Vmbra, cinis, spectrũ, ros, vapor, omnis homo,
Omnis homo puluis, fumus, vis fluminis, aura,
Pluma, sopor, nauis transitus, æstus aquæ.
Perpetuũ summumq́, bonũ mortalibus vnũ est,
Hinc migrando ipsum cernere posse Deum.

A D.

MEDITATIONVM AD SEIPSVM ERI-GENDVM.

REbus in aduerſis animũ cur proïjcis omnẽ,
Deumq́; mendacem putas?
Iſaciden mens ægra vide, qui rebus egenis
Luctamq́; duram ſuſtinens,
Cum Chriſtũ procul eſſe putat, tũ proximus illi
Eiusq́; inhæret brachijs. (eſt,
Fide Deo, diffide tibi, diffide patronis,
Diffide patri & regibus.
Soli fide Deo, qui cum ſpes deficit omnis,
Hominesq́; iam te deſerunt:
Tum tibi fidus adeſt demum, tunc incipit ille,
Lætosq́; donat exitus.

GRATIARVM ACTIO AD DEVM PRO PRAESTITIS beneficijs.

ALme Deus, pater omnipotẽs, mitiſſime Ieſu,
Tuq́; vtriusq́; ſacer ſpiritus, alme Deus.

Quis

Quis tibi, quis dignas vnquã perſoluere grates
Pro meritis potuit muneribusq; tuis?
Indulgens tua quæ bonitas & gratia nobis
Immeritis etiam ſæpe malisq; dedit.
Quod priſcis, ſed fruſtra olim, multisq; petitum
Nunc etiam obtinui, te tribuente, puer. (eſt,
Nam regione puer quondam ſum natus in illa,
Qua rutilant verbi lumina clara tui.
Munus id argento, gemmis, precioſius auro,
Exuperat cunctas totius orbis opes.
Hinc ego percepi vitæ documenta beatæ,
Cœpi hinc vulneribus fidere Chriſte tuis.
Quæ mihi ſidereæ promittunt gaudia vitæ,
Gaudia mundanis non redimenda bonis.
Tu patrem mihi rectorem, fidosq; dediſti
Doctores, puero maxima dona rudi.
Ingenium mediocre tuo quoq; munere nobis
Contigit, & celebris docta palæſtra ſcholæ.
Nec mihi patroni bonitas, nec defuit vnquam
Præſidium ſtudijs ſubſidiumq; meis.
Non ſcabies mihi ſæpe fuit febriſue moleſta,
Sed mens in ſano corpore ſana fuit.

Tu quoq; longinquis cuſtos mihi ſidus in oris,
Seruaſti in cunctis meq; meosq; malis.
Impune Oceanum vidi, cultosq; Britannos,
Italiam, Gallos, Heluetiæq; plagas.
Non Batavi nocuere mihi, non æquora Dani,
Non Albis refluis inſidioſus aquis.
Et licet interdum, certo in diſcrimine vitæ,
Nulla videretur ſpes ſupereſſe mihi:
Te tamen auxiliante mihi, ſpem præter, vbiq;
Hactenus euaſi ſoſpes & incolumis.
Non pelagi rabies, non latro, aut Italus hoſpes,
Perdere me Alpinæ non potuere niues.
Nunc etiam ſedem certam, certoſq; penates
Munere poſſideo maxime Chriſte tuo.
Te duce caſta, decens, & prudēs contigit vxor,
Quæ placet, & tota eſt moribus apta meis.
Quin & opes modicas, & quidquid vita requi
Das mihi propitia munificaq; manu. (rit
Pro quibus æternas toto tibi pectore grates
Dico Deus, vitæ ſpes columenq; meæ.
Da tantum vt nunquam terrenis obruta curis
Mens mea, cæleſtes impia ſpernat opes.

Sed

Sed potius læto ſemper tua munera vultu
Officijs celebrem carminibusq; pijs.
Et poſt mortalis mortalia tempora vitæ
Suſcipiar regni pars quotacunq; tui.

POENITENTIS.

Hei mihi quæ miſerã turbãt præſagia mentẽ
Quiſpectus dolor excruciat? quos ſentio morſus
Quos ſtimulos? heu me miſerũ, contagia mũdi
Quam facile inficiũt hominẽ: quã turpiter illũ
Decipiunt, rectoq; procul de tramite ducunt:
Sollicitosq; animos arcano deinde flagello
Proſcindunt. ſic ſeſe hominum fallacia prodũt
Gaudia, quæ ſummi angores curæq; ſequuntur
Vltrices. num ſic genio ſeruire decebat?
Sic feſtos agitare dies? vt poſtmodo triſtes
Cor premerent curæ, perturbarentq; quietem.
Quam rarũ eſt ſeruare modũ? quã prona facul-
Peccandi, & ſummũ cœlorũ offendere regẽ. (tas
Sed tu parce meæ pater ò mitiſſime culpæ,
Parce precor, peccaſſe piget, peccata fatemur,

Et pudet, & doleo; tu consolare dolentem
Auxilio statuq́; tuo: tu dirige fluxæ
Curriculum vitæ, & lapsus auerte futuros.
En redeo mutoq́; animos, & pœnitet acti
Temporis, ò ignosce Deus, nec respice sordes,
O miserere mei, victa placabilis ira.
Non meritũ tibi iacto meũ, non protinus aram
Occupo ventosus: miseri sed mancipis instar
Sto procul, & terrã intueor, pugnoq́; tremente
Ipse meum pectus ferio: mea crimina damno:
Nescio virtutes: merito non glorior vllo:
Confisus bonitate tua, confisus amore,
Quo me complexus miserũ, tot vulnera, tantas
Sustinuisti vltro clades, vt sanguine fuso
Atria iam cœli dudum mihi clausa parerent.
Sto miser ante fores templi. sed tu optime rerũ
Me pectusq́; meum penetrando introspicis. ò me
Mancipis exemplo, à tantis absolue dolorum
Supplicijs, totumq́; tuo me sanguine iustum
Dic esse, & cœli tandem mihi limina pande.
Quod me certa fides iubet expectare, labantem
Tu recrea, & radio diuini flaminis auge,

Lætus

Lætus vt ex animo, mediaq; in morte triũphans
Cœleſtem accipiam ſolo te dante, coronam.

FAMES ANIMÆ.

Eſuriente anima quærant alimenta ſaginæ
Corporeæ, miſeri, quîs ea vita placet.
Tu mea ſidereo, mea mens, ò paſcere verbo,
Præbeat hoc fidei certa alimenta tuæ.
Triſte famem tolerando mori, ſi corpora ſpectes;
Si mentem; poterit triſtius eſſe nihil.

PRECES DOMESTICÆ.

Occupo nunc alias cara cũ coniuge ſedes,
Quæ quondam ſocceri tecta fuere mei.
Nam propriæ dominum ſedis natura nec illũ,
Nec me conſtituit; nunc ego, nunc alius
Incolet hanc, nulli propriam certamq; futurã,
In cœlo eſt tantum certa parata domus.
Interea tamen incerta dum ſede morari
Cogimur, auxilio res eget iſta tuo.

Tu noſtræ tutela domus, mitiſſime Ieſu,
Porrige propitias in mea vota manus.
Te ſine nulla domus regitur bene, te ſine nemo
Aut ſapit, aut rectè quæ facienda, facit.
Ergo oculos tu Chriſte meos, tu dirige mentem,
Vt tibi, quæ dico, quæ facioq́; probem.
Vt domui rebusq́; meis ſine crimine præſim,
Vtq́; meos vera cum pietate regam
Inprimis vitæ ſociam quam Chriſte dediſti,
Incolumem multos fac ſuperare dies:
Huic fœtæ in morbis partusq́; doloribus adſis,
Poſſit vt incolumi viuere matre puer.
Inq́; tuas viuens paulatim accreſcere laudes,
Ingenio, ſtudijs, & pietate queat.
Vicinos concede bonos, fidosq́; miniſtros,
Nil quibus hoc æuo rarius eſſe ſolet.
Pelle procul rixas, morbos, incendia, fures,
Tota ſit aligero præſide tuta domus.
Quẽ non improbitas, non fœda exẽpla repellãt,
Sed pudor alliciat perpetuæq́; preces.
Officij ſit quiſq́; memor, iuſſiq́; laboris,
Sim memor officij fidus & ipſe mei.

Non

Non ego diuitias, & opes, cum fœnore quæro,
Quæ domino exitio sæpe fuêre suo.
Da mihi quod satis est ad fluxæ tempora vitæ,
Contentusq́ animus consulat illa boni.
Nam tua si tantum præsto est benedictio nobis,
Et tua perpetuo si modo cura sumus:
Non alias curamus opes, opulentia summa
Hæc erit & domui filioq́ meo.
Hanc cessaturam nullo mihi tempore præsta,
Sic mea plena domus, sic ego diues ero.

ACCEDENTIS AD REM DIVINAM.

TV terrã fac esse bonã mea pectora Christe,
Fac subigant verbi semina sacra tui.
Fac certos quandoq́ ferant cũ fœnore fructus,
Non referant petram, non mea corda viam.
Tu volucres inhibere potes, tu exscindere spi-
Te sine nil hominũ cura laborq́ potest. (nas,

MEDITATIONVM

ALIA PRECATIO DOMESTICA.

CHriſte puer, tenera latitans qui matris in
Natus es humana conditione Deus. (aluo
Chriſte puer, pueros qui diligis atq; tueris,
Veniris adhuc clauſum quãdo ferũtur onus.
En ego te precibus, mea te cariſſima coniunx
Sollicitat gemitu lachrymulisq; pijs.
Luna mihi teſtis, quæ pleno argentea vultu
Nocte micat, partus conſcia luna tui.
Tu ſobolem defende, tuo quæ munere nobis
Spem dedit, ad matris pectora clauſa latens.
Incrementa illi tu ſuffice, tempore iuſto
Prodeat vt ſalua poſtmodo matre puer.
Matre puer ſalua florentibus integer annis
Creſcat vt in laudes paruule Chriſte tuas.
Fallor an hoc ipſum, tacitè à te poſtulat ille,
Et rogat, & puerum te puer alme colit.
Tu pueri non ſperne preces, puer optime Ieſu,
Quo melior toto nullus in orbe puer.

Sic

Sic te dante tui fidus celebrator honoris
Ille meus, matrem quando relinquet, erit.
Sic tibi perpetuas salua cum coniuge grates,
Totius hic vitæ tempore lætus agam.

ALIA PRECATIO DOMESTICA.

Non opus est hominis numerosam gignere
Nõ opis humanæ rectè si nascitur infans; (prolẽ
Auxilium pater alme tuum res vtrag; poscit.
Ergo tuo mihi quæ soboles ostensa fauore est,
Fac teneram linquat matris feliciter aluum.
Occlusas reserare vias, & soluere nodos
Te sine nemo potest, cum spes humana fatiscit,
Omnia cum nutant, cum desperata putantur
Omnia: tum plenis ad te pater optime votis
Confugimus, tu tu nostræ spes vna salutis.
Tu potes, & quod non fieri te principe possit,
Est nihil in toto, quamuis sit maximus, orbe.
Tu benedixisti nostro pater inclyte rerum
Coniugio, munusq; tuum quod pectore grato

Poscimus, angusta luctatur matris in aluo.
Fac pater omnipotens vt iusto tempore saluus
Prodeat, & matrẽ exhilaret, quæ pressa dolore
Ingemit, auxiliumq́; tuum iam fessa precatur.
Da pater omnipotens vt tantos illa labores
Aequo animo tolerare queat, confisa paterno
Auxilio, dextraq́; tua, quæ sola mederi,
Vnica quæ poterit tantos lenire dolores.
Non tibi præscribo, manus inuictissima, nullo
Abbreuianda die, tempusq́; modumq́; iuuandi,
Omnia tu melius, tu rectius omnia nosti.
Me tibi permitto, & nostram commendo salutẽ,
Promissisq́; tuis nitor, tu quando libebit,
O pater alme meas potes exaudire querelas.

GRATIARVM ACTIO.

QVas tibi, magne parẽs rerũ, quas dicere gra
Incipiam? quæ pro meritis celebrare fauorẽ (tes
Munificamq́; manum vox aut præconia possint.
Tu mea cũ morti gemeret iã proxima coniunx:
Cum nihil auxilij nec spes supereſſet anhelæ,

Placa-

Placatus prrecibus, pater ò mitiſsime, noſtros
Audiſti gemitus, lacrymasq́, & numine prono
Iuuiſti exanimem pene incertamq́, ſalutis.
Et licet ante diem tener expirauerit infans,
Oblatus precibus tibi dudũ, & ſanguine Chriſti
Mundatus, dubioq́, procul nunc incola cœli:
Aeternas tamen ex animis & pectore grates
Dico tibi, ſemperq́, tuas hoc nomine laudes
Extollam, mihi quod tanta ſub mole laborum
Seruaſti incolumem vxorem, caſtamq́, piamq́,
Qua ſine vix poſsim vitalem degere vitam.
En acinos concedo libens, concedo racemos,
Sit vitis modo ſalua mihi, ſerpatq́, per vlmum
Ambitioſa ſuam, lætisq́, amplexibus illam
Fertilis vuarum exhilaret, præſtetq́, decorem.
Flebile principium, duce te, meliora ſequẽtur.
Non ego vel medio ſitus in diſcrimine mortis
Diffidam Deus alme tibi, tu vera ſalutis
Anchora, confugiumq́, vnum tu rebus egenis.
Sit tibi perpetuis & laus & gloria ſæclis.

CONSo-

MEDITATIONVM

CONSOLATIO AD DAVIDEM CHYTRAEVM Fratrem.

ET doleo & lacrymas tecum cariſsime frater
Fundo gemẽs, & cauſa patet. quis nãq; profuſis
Temperet à lachrymis? quis acerbo frena dolori
Iniĳciat? cui mors ſummum crudelis amicum,
Cui vitæ ſociam fidam, cui deniq; cordis
Dimidium rapiat? toto precioſius æuo
Quo nihil eſt homini, toto nil carius orbe.
Quin probat hũc, ſanxitq; adeo Deus ipſe dolo-
Cordibus ardẽtes qui primo infudit amoris (rẽ,
Igniculos; illi quo nobiliora piorum
Et propiora Deo & cœlo ſunt pectora, tanto
Flagrantes magis illuſtri ſeſe indice produnt.
Filius ipſe Dei, & mundi ſeruator Ieſus,
Hoſpitis interitum luget, lachrymasq; repentes
Fundit, vbi mœſtas fratrem deflere ſorores
Aſpicit ad tumulos: noſtro non ille dolori
Ignoſcat placidus? nec ſancti flaminis auræ
Hos plane extinguunt ignes, ſed ſuauiter illos

Tempe-

Temperie quadã minuunt, & gaudia miſcent,
Gaudia perpetuæ ſpem confirmantia vitæ.
Recte igitur luges, triſtisq́ eccleſia tecum
Et ſchola tota gemit. lachrymis teſtantur amici
Alloquijsq́ pijs ſtringentem corda dolorem.
Sed tamẽ hic modus eſt, certi ſunt denigꝫ fines,
Quos pietas vltra aut citra conſiſtere neſcit.
Hos Chriſtus tibi præſcripſit, ne ſcilicet ægrum
Vſqꝫ adeo abijcias animum, ſolamina plane
Vt nulla admittas tantos minuentia luctus.
Non decet hoc Chriſti nactos de nomine nomẽ,
Nouerunt illi eſſe Deum, qui tempore fixo
Momentoq́ ſuos naſci, mox rurſus obire
Nunc me nunc aliũ iubeat: qui mente paterna
Omnia diſpenſet fugitiuæ munera vitæ. (quid
Huic natos parere decet ſine murmure, quid-
Imperet affectu è patrio vt procedere norint.
Hic tibi quid proſit te nouit rectius ipſo,
Hic te maiori, quàm tu illam, diligit æſtu,
Sollicitusq́ ſuo tua dirigit omnia nutu.
Anne vides totũ quæ & quãta pericula mundũ
Exagitent: quot ſint rixæ, quot bella per orbem:

Quanti

Quãti hoſtes nũc immineãt: vt publica noſtros
Dãna premãt thalãos: quæ paſſi vulnera quæue
Schiſmata Chriſticolã deformẽt vndiq́ gentẽ.
His igitur curis, tantisq́ laboribus illam
Quod Deus eripuit, ſede & meliore locauit
Anne doles? voris hoc multi ex omnibus vnum
Ingeminant, cupidi moriendo euadere caſus
Multiplices, noſtro generi ſine fine minantes:
Nunc quibus illa vacat: non ipſam bella vel ho
Non fraus hæretici, non infortunia, morbi, (ſtes,
Nec mors ipſa poteſt ſolitis violare rapinis.
Illa dedit finem lachrymis, metamq́ dolori
Conſtituit. nec tota iacet tua mortua coniunx,
Sed viuit, viuetq́ æuo ſine fine perenni,
Mors hæc cæleſtis veriſſima ianua vitæ eſt.
Mœrores tantum, & morbi, vitæq́ caducæ
Condimenta febres, & calculus, ipſaq́ mors eſt
Hoc ſuperata modo, æternæ ſtant ſæcula vitæ.
Membra quidẽ tumulo, ceu molli victa ſopore
Hic proſtrata iacẽt: proprio ſed corpore Chriſtus
Imbuerit cum terreni monimenta ſepulchri,
Atq́ iterum mortis liber formidine, vitam

Arri-

Arripiat victor: non eius tincta cruore
Corpora, quæ hoſpitium diuini numinis olim
Viua fuêre, caui liquet ſub pondere ſaxi:
Sed ſibi tam caros, precioſo & ſanguine partos
Ipſe manu propria cineres ſeruabit, vt illis
Ne minimum quid decedat: quã nobile glebis
Mandaſti ſemen, rigidæ poſt tempora brumæ
Quod ſol iuſticiæ radijs vitalibus ortus
Eliciet rurſum tumulis, viuumq́ decorem
Reſtituet viuæ. non illi amaranthus honore
Non violæ certent, non pleni floribus agri.
Hæc igitur, cinctum hiberno te frigore, veris
Spes recreet, minuantq́ tuos cœleſtia luctus
Gaudia, mundanis non æquiparãda triumphis.
Cum procul à nobis cedentem flemus amicũ,
Spes reditus grata eſſe ſolet, magnoſq́ dolores
Mitigat, ambigua quamuis à ſorte trahatur:
Spes eadẽ ſpectans, & neſcia fallere quemquã,
Te recreet, veluti peregrina in ſede morantem
Mox reducẽ in patria exſpectet te Margaris vr-
Quã viſurus eas multũ properãte caballo. (be,
Et certe hãc ipſam, quã mors tibi ſuſtulit, ægrã,

Pallen-

Pallentem morbo, & nunquã non dura ferentẽ.
Illa dies ſanis renouato in corpore membris
Reſtituet, ſtellis ſimilem, quam decolor ætas
Non maneat: quam nullius contagia morbi
Exanimẽt: quin cũ Domino dominabitur illis
Omnibus, & victa peraget de morte triumphũ.
Tuq́ illam in tanto coram ſplendore videbis,
His oculis, his inquã oculis tua gaudia cernes:
Aethereaq́ illi par maieſtate nitebis.
Ceſſa igitur, quantumq́ potes, compeſce dolorẽ,
Quem Deus hic imponit ijs quos diligit vltro,
Vt ſibi finitimos alieno in funere caſus
Agnoſcant, vitæq́ adeo cœleſtis amore
Incipiant ardere, crucis cædente flagello.
Nec tamen ille ſuos hic plane deſerit orbos,
Quin pater auxiliaris adeſt, mitisq́ patronus,
Et ſufferre iuuat, ne vincat robora moles.
Quod facis, huic confide libẽs, huic crede monẽ
Iſacidenq́ imitare piũ, Rachelin amatam (ti,
Qui tumulans, minuit lacrymas, ſpes altera vi
Quod iubet, & dudũ optati victoria Chriſti. (tæ
Nec decet hãc lacrymis plus iuſto vrgere profuſis

Cui

Cui Christus lachrymas omnes absterſit, & ipſe
Quam ſanctas inter matres diuasq; locauit.

IN FESTO ASCENSIONIS CHRISTI DE DICTO IOHAN. XX.

Dic fratribus meis, aſcendo ad patrem
meum, & ad patrem veſtrum, ad Deum
meum, & ad Deum veſtrum.

CHriſte, cur fratres libuit vocare?
Perfidos quos tu potius malosq;
Pelleres, qui te in medijs periclis
Deſeruerunt.
Cur patrem dicis? potius ſeuerum
Iudicem quem te decuit minari.
Cur Deum noſtrum? toties nefando
Crimine læſum.
Scilicet gratis tua nos ruentes
Dextra ſuſtentat, recipitq; lapſos,

Te pater ſolum medio furentis
Immemor iræ eſt.
Ergo quis toto mihi certet orbe?
Stemmatis iactans ſeriem vetuſti,
Se putet quamuis ~~*esse vnà*~~ *ab ipſo*
Cecrope natum.
Eſt pater magni mihi rector orbis,
Frater eſt noſtri generis redemptor,
Patre quid maius? melius quid iſto
Fratre per orbem?
Conditor vaſti pater iſte mundi eſt,
Filius victor Sathanæ necisq́;
Mortuus regnat, ſuperata mors eſt,
Vita triumphat.
Fratre quo diues, patre quo beatus,
Diuitem Cræſum, Cecropemq́; ſperno,
Nobilis vere, & rutuli futurus
Incola cœli.

IDIB. MARTII NATALI SVO PRECES.

IMplco iam decimam fluxæ trieterida vitæ,
Hei mihi quam ſubito multi abiere dies.

Quam

Quam ſubito flos & primi vigor aureus æui
Tranſijt in morem non redeuntis aquæ.
Optima pars vitæ perijt, pars peſſima reſtat,
Quam morbi, anxietas, cura laborq; premũt.
Tu ſolus ſine fine manes Deus vnus & idem,
Tu ſolus ſenij neſcius aſtra tenes.
At me meta breuis manet inſuperabilis æui,
Me mors inſequitur præuia vita fugit.
Quidquid id eſt quodcũq; meos accedet ad an
Chriſte fac vt laudi ſeruiat omne tuæ. (nos
Me tibi commendo, tu ſolus fallere neſcis,
Inq; clientelam me tibi trado tuam.
Vtviuens moriensq; tuo confiſus amore,
Non metuam properæ ſpicula fracta necis.
Sed duce te poſt mortalis mala tempora vitæ
Transferar in ſummi læta theatra poli.
Hic demum veramq; domũ vitamq; perennẽ,
Speramus merito Chriſte benigne tuo.

Anno M. D. LXXIII.

MEDITATIONVM

DE STORGIS SEV IN-CREDIBILI PARENTVM in liberos & Dei in genus humanum amore.

Hei mihi quæ vis est patrij quisq; ardor amo (ris?
Quã pater in natũ pectora prona gerit.
Quam cupit ex animo soboli prodesse tenellæ,
Quam crebro illius nomine vota facit.
Quam cupit ex animo dubios auertere casus,
Sæpe etiam proprij corporis exitio.
Non infans redamare tamen, non edere vocẽ,
Non prodesse patri mente manuue potest.
Si gestu semel exhilaret risuue parentem;
Sæpius offendit sordibus & lachrymis.
Quas tolerare potest pater, & nihilominus ar- (det
Totus filioli plenus amore sui.
Non adeo genitor carus, non sedula mater,
Vt quis eos nati viuere clade velit.
Quod si adeo in sobolẽ mortalia pectora flagrãt
Quo pater in natum flagrat amore Deus?

Totus

Totus amor Deus, & diuini luminis ardor,
Ecquid erit tanti maius amore Dei?
Attamen ille ſuo, præ nobis, parcere nato
Noluit: ò animis non penetrandus amor.
O aciem ſuperans hominum mirabilis ardor,
O amor angelicis iure ſtupende choris.
Lingua riget, ſtant fronte comæ, vox faucib. hæ
Sic neq; quod volui continuare queo. (ret,

OFFICIVM LINGVÆ.

(de,

Hoc ſublime ſacra quod cõſpicis organon æ-
Pneumatica ſanctas concinit arte preces
Tu ſi muta ſonãt ſummũ inſtrumenta tonantẽ,
Sis memor officij viuida lingua tui.

PRO V. CL. HENRICO HVSANO PRISTINAE ſanitati reſtituto.

Quid me flebilib. crucias Huſane querelis,
Grande decus rebus præſidiumq; meis?

Dum recitas tremulo ſummos in corde dolores,
Et tibi iam mortis fata propinqua putas.
Sume animos, mortisq; metũ procul eïce, ſponte
Quod facis, & firma ſpem recreato fide.
Non ita vel ſuperis viſum, Muſisq; beatis,
Tam citò te properæ tela ſubire necis.
Plura tibi reſtant Chriſti pro laude gerenda,
Pro patria reſtant plura ferenda tibi.
Præſidioq; tuo Muſarum ductor Apollo
Et nequit auxilijs Muſa carere tuis.
Quĩ animæ pars vna meæ es, quã ſi modo lethũ
Præriperet, reliquo quid mihi dulce foret?
Quid vitale etiam? ſiquidẽ non integer, æque
Nec carus eſſem, parte iacente, mihi.
Nec cuperem ſine te veſci vitalibus auris,
Carpere ſed ſummam te præeunte viam.
Viue igitur laudiq; Dei patriæq; ſaluti,
Viue etiam vitæ vita decuſq; meæ.
Fallor an et cupidas replet mihi nuncius aures,
Te ſanum vita commodiore frui.
Hoc placet, hoc imis recreat præcordia fibris,
Hoc placet, hoc pauidos eïcit inde metus.

Gratia

Gratia Chriſte tibi faciles qui queſtibus aures
Pandis, & es certam ferre paratus opem.

PRO HORTVLO ET FONTICVLO CHRISTI PRECES.

Hortulus eſt Muſis olim Chriſtoq́ dicatus,
Ad Varni Roſeas lene ſonantis aquas.
Fons ſacer in medio ſcatebris ebullit amœnis,
Finitimosq́ rigat riuulus vber agros.
Non illic colubri latuerunt hactenus, aut qui
Vitiferos colles & ſata vaſtat aper.
Non illic cecinit ferali carmine bubo,
Sed fudit ſacros cygnus ab ore ſonos.
Luſciniæ cecinere illic & ſuauis acanthis,
Et ſonuit laudes mitis alauda Dei.
Felices horti, roſei felicia campi
Iugera: ni fati ſors inimica veret.
Scilicet huc amnis nimium ſe turbidus infert,
Paulatim is ripas hortule parue tuas
Arrodit, partemq́ breuis ſubducit agelli,
Imminuitq́ tuas imperioſus opes.

Parte alia mare terrificis tibi fluctibus instat,
Aggeribus ruptis & tua rura petit.
Et secum sata læta vehens annigꝫ labores,
Disturbat florum germina, fontis aquas.
Hic spes nulla subest, custos nisi pauperis horti
Septorum curam mente animoꝫ gerat.
Ergo veni, cingensq́ tuos facto aggere flores,
Fonticulos horti Christe tuere tui.

NATHA-

FINIS.

NATHANIS CHYTRAEI
MEDITATIONVM SACRARVM
LIBER TERTIVS.

AD ILL. DVCES ET D.D. DOMINVM IOHANNEM, ET DOMINVM SIGISMVNDVM AVGVstum, Illuſtriſſimi D. Iohannis Alberti Ducis Megalburgenſium, principis Vandalorum, Comitis Suerini, Domini Roſtochienſium & Stargardiorum, &c. F. F.

HAEc quoq; de puero cecini quæ carmina Ieſu,
Et quæ Fabricij Muſa ſuprema dedit,
Accipite illuſtres concordi pectore fratres,
Bina Megalburgæ pignora cara domus.
Quæ mea ſunt merito vobis debentur; alumnus
Nam patris & veſter, veſtra roſeta colo.
Fabricius quoq; vos coluit dum vita maneret,
Miſit & ad veſtras carmina crebra manus.
His ego, quæ vulgo nondum prolata leguntur,
Illius adieci carmina ſacra meis.

M s Non

Non tanto certare viro quod credulus ausim,
Nunc quoq; quem solito fidus amore colo:
Sed ne forte hominũ pereant neglecta veterno,
A sero quondam digna nepote legi.
Et cur non vno sint coniungenda libello?
Quæ celebrant vnum voce lyraq́; Deum.
Vos patris & proprijs illum defendite sceptris,
In lucem vt vestro lumine clarus eat.
Sic illi & vobis diuturnæ munera lucis
Det satus intacta virgine matre puer.
Dirigat is primæ vestigia lubrica vitæ,
Et iubeat veræ laudis inire viam.
Floreat vt meritis felix Respublica vestris,
Et sint optato templa scholæq́; loco.
Gloria summa Ducum patriæ seruire saluti,
Et meritis reliquos exsuperare suis.

CHRISTI.

IN NATALEM IESV CHRISTI SERVATORIS, ODE,

Monocolos Tetraſtrophos, conſtans verſibus anapæſticis, dimetris, cataleƈtis.

Anno M. D. LXV.

EN lux celeberrima rurſum
Optataq́ brumа recurrit,
Sit laus tibi virgine nato,
Cœli decus, optime Ieſu.
Ecquis iam luƈtibus, ecquis
Lachrymis indulgeat? ecquis
Hilari non pƈtore dicat?
Sit honor tibi paruule Ieſu.
Reſonat iam plauſibus æther,
Reſonant & cantibus arua,
Hic paſtor, & angelus illic
Excelſa voce triumphant:
Alacri clamore ſequuntur
Magni chorus ætheris, & qui

Ani-

Animas posuere beatas.
Cœlesti sede recepti.
O qui mortalibus oris
Fragiles habitatis & ægri,
Memores deponite curas,
Lætosq́; assumite vultus.
En talia nuncio vobis,
En gaudia tanta reuelo,
Supera delapsus ab arce,
Quæ totus non capit orbis.
Patribus promissus auitis,
Totq́; exoptatus in annos,
Quem tot cecinere prophetæ
Iam paruulus est datus orbi.
Salue lux inclyta, salue,
Salue puer inclyte, salue,
Salue lux aurea, salue,
Salue puer auree, salue.
Tu Christus homoq́; Deusq́;
Par maiestate parenti,
Mundi seruator ab æuo,
Iam nasceris ore tenello.

Homi-

Hominum tu crimina tollis,
Aeternæ & gaudia vitæ
Reparas, vt sede beata
Tecum quandoq; fruamur.
Vbi sit quærendus in orbe
Puer hic, fortasse requires?
Qui magno est maior Olympo,
Laceris præsepibus hæret.
Totum qui sustinet orbem,
Stabulo sua membra reclinat,
Tenuiq; indutus amictu,
Ventos & frigora perfert.
Ergo comitemur euntes
Pastores, cœlitus ore
Quibus hæc prædixit amico,
Supremæ exercitus aulæ.
Pariter videamus, amico
Quæ nobis munera vultu,
Dederit quæ gaudia nobis
Bonitas æterna parentis.
En quam puer ore venusto,
Niuea quam luce refulgens,

Quam

Quam totus amabilis, vltro
Cuiq; arridere videtur.
Quæso quis paruulus ille?
Quis paruulus ille venustus?
Certe puer ille redemptor,
Sator & spes vnica mundi est.
Salue puer optime, salue,
Salue dulcissime, salue,
Salue mea vita, meum cor,
Salue mea sola voluptas.
Ah quo tibi carmine grates,
Qua voce encomia dicam?
Fragili quod corpore nasci
Non dedignaris in orbe.
Quis te, Deus alme Deorum,
Humili tam sede locauit?
Cur, ò Rex inclyte regum
Stipulæ fœnumq; placebant?
Triplicis si machina mundi
Decies foret amplior, aut si
(Nihil est preciosius illis)
Auro gemmisq; niteret:

Non

Non ſat tamen ampla fuiſſet,
Non ſat ſpecioſa, tibi quæ
Cunas præbere tenello
Vel digna cubilia poſſet.
Spretis tamen omnibus illis,
In fœno & ſtramine regnas,
Dedit hæc tibi purpura lectum,
Hæc byſſina lina cubile.
Hac tu dominus dominorum
Rutuli moderator Olympi,
Pompa & ſplendore triumphas.
Hic currus & aurea ſceptra.
Quis te pulcherrime IESV,
Neget hoc voluiſſe monere?
Nil te curare, ſed omnes
Hominum contemnere faſtus.
Nil gemmæ, auriq; talenta,
Nil ſplendida nomina poſſunt,
Humili tu corde fideq;
Caperis, precibusq; profuſis.
O mellitiſſime IESV,
Ieſu exoptate, tibi cum

Domus hoſpitiumq́, negetur,
Placeat diuertere mecum.
Noſtri tibi capſula cordis
Patet, en tibi ſterne cubile
Purum, pulchrumq́, nouumq́,
Quo tu ſine fine quieſcas.
Tali ſic hoſpite lætus,
Plauſus & iubila ſemper
Ad cœlum brachia tollens,
Animo exultante mouebo.
Tu corde morabere noſtro,
Donec mihi vita manebit,
Et te præeunte, perenni
In cœlo tempore viuam.
Sit laus tibi maxime rerum,
Pater ò mitiſſime, Chriſtum
Maria qui virgine natum,
Noſtra pro labe dediſti.
Ieſu puer optime ſalue
Salue puer auree Ieſu
Ieſu blandiſſime Salue
Salue optatiſſime Ieſu.

CRISTI.

NATALIS CHRISTI SERVATORIS INCHOANS.

Annum M. D. LXVI.

HAec etiã venerande puer tibi carmina scribo,
In laudem & cunas officiosa tuas.
Christe faue cœpto, tu cœlum numine comples
Paruulus, & patris dulcis imago tui es.
Ipse accende pios frigenti in pectore motus,
Numinis agnoscant qui benefacta tui.
Sed tua quo tandem describam numina versu,
Quæ referam meritis carmina Christe tuis?
Tu Deus es verus, finisq; & originis expers,
Atq; coæterno de genitore satus.
Tu verbum, virtusq; Dei, tu dextra parentis,
Non minor aut maior, par sed vbiq; pari.
Tu cœlum & terrã verbo omnipotente creasti,
Muneris est quidquid spirat in orbe tui.
Inprimis tibi pressa malis Ecclesia curæ est,
Præsidio exultat numinis illa tui.
Lamechides duce te viuit, custode triumphat,
Vndiq; cœlifluis cum perit orbis aquis.

Tu quoq; Thariadæ quondam conuiua fuisti,
Pollicitus sterili pignora certa seni.
Isacides, duce te, patrias feliciter oras,
Fratris vt euitet noxia tela, fugit.
Te quoq; seruatore redit, luctaq; volentem
Te superat, vires suppeditante fide.
Te faciemq; tuam vidit pater optimus idem,
Quando ait, est animæ iam data vita meæ.
Vidit; & ante decem septenaq; secula viuens,
Prædixit partus tempora Silo tui.
Salue Silo, Salus toto mortalibus orbe,
Quem peperit nulli cognita virgo viro.
O res mira homini, nũ virgo puerpera facta est,
Numne hominis potuit sumere mẽbra De-
O factũ humanæ planè inscrutabile menti, (us?
Quod tamen exemplis clarius esse potest.
Hostis aquæ flãma est, oculos tamẽ vtraq; iungit
Purus vt in vitrea luceat ignis aqua:
Igne Chalybs penetrante ardet pellucidus, alter
Nec tamen alterius vi superante perit:
Sic Deus & mortalis homo se fœdere iungunt,
Et coëunt miris dissociata modis.

Side-

Sidereis plane pugnant terrena: sed auræ
Particula ætherea terrea membra fouet:
Sic Deus humani iunctos sibi corporis artus
Aeterno recreat viuificatq́; bono.
O mellite puer, miseroq́; salutifer orbi,
O Deus atq; hominis corpus & ossa ferens.
Cum tua condiderit totũ omnipotentia mundũ
Cumq́; simul dempto condita fine regas:
Quis te tantus amor nostri, quæ culpa coegit,
Vt fieres hominum conditione minor?
Cur tibi pro cœlo placuit tristissima tellus?
Tristia cur lætis anteferenda putas?
Non te frigus iners, non mors te terruit atrox,
Non labor & miseræ conditionis onus?
Scilicet illa Deo nulli mutabilis vnquam
Perplacet & firmum regula robur habet:
Omnis vt hoc hominũ mortali sanguine cretus
Aut faciat summi iussa verenda Dei:
Aut quas nostra graues meruerunt crimina pœ-
Perferat, æquiualens supplicioq́; luat. (nas
Quando igitur legẽ Domini violasset Adamus,
Totaq́; posteritas sordida massa foret:

Tum pater omnipotens meritas exarsit in iras,
Norma id iusticiæ, non violanda iubet.
Indixitq́, graues pœnas, quas omnis Adami
Progenies flammis interituq́ luat.
Tamq́ diu domini manet indignatio, donec
Exactè pœnam soluere possit homo:
Iam quia solus homo tantos perferre dolores,
Iram qui possent æquiparare patris,
Non valuit: quin patroni quoq́ partibus impar
Non homini potuit conciliare Deum:
Non etiam clausi laxare repagula cœli,
Nec potuit durum vincere mortis onus:
Tunc ò gnate Dei, sortẽ hanc miseratus acerbã,
Pro nobis pura virgine natus homo es.
Natus homo es, verusq́ Deus; quo scilicet vno
Placari poterat vindicis ira modo.
Hæc ea temperies miro pulcherrima nexu,
Iusticiæ summi cum bonitate patris.
Aequiualens qua tu preciũ, pro crimine nostro
Debitor, exsoluis supplicioq́ luis.
Cui non sanctus Abel par est, non angelus vllus,
Hæc per te solum pœna soluta fuit.

Tu

Tu quæcunq; manent sceleris vestigia nostri,
Hæc bonitate tua iusticiaq; tegis.
Tepropter iusti placato à patre putamur,
Te propter rabidi dæmonis ira iacet.
Te duce sunt nobis reserata palatia cœli,
Vnica tu nobis lux, via, vita, salus.
Singula quid repetã? tua me clementia vincit,
Cunctaq; sunt meritis inferiora tuis.
Qua ratione tamẽ tua maxime munera Christe
Consequar? vt norim propria facta mihi?
Nulla salus nostris meritis sperare salutem,
Cuncta sed hæc confert munera sola fides.
Sola fides, innixa Deo, & trepidantia forti
Pectora confirmans spe, tibi Christe placet.
Quoq; est importuna magis, quo fortius instat,
Hoc citius voti credula compos erit.
Hoc fidei robur nostris in cordibus auge,
O puer, & cari fratris habende loco.
Care puer, dilecte puer, mirissime Iesu,
Emanuel, cætus spesq; caputq; tui.
Quas tibi pro tanto persoluam munere grates,
Cui par immenso nullus in orbe fuit?

Non equidem video, tu culpam ignosce fatenti
Afflatuq; tuo fumida lina foue.
Sic quodcunq; meos posthac accedet ad annos
Temporis, id laudi seruiet omne tuæ.

NATALIS CHRISTI SERVATORIS INCHOANS.

Anno M. D. LXVII.

Ad Io. Marbachium Theologum clariß.

(annũ,

HVnc quoq; laus superis, salui transegimus
Quo mala tot miseris nos petiere modis.
Atra fames, & fœda feræ contagia pestis,
Millia terribili multa dedêre neci.
Libertatis amor, fratrum discordia, rixæ
Ciuiles, varijs damna tulere locis.
Quid tibi bellorum strepitus, quid prælia dicã?
De quibus heu toto rumor in orbe fuit.

Nil niſi bella ſonat Zephyrus, Notus, Auſter &
Vt mare ſic tellus nil niſi bella ſonat. (Eurus
Turca ferox longe Geticis progreſſus ab oris
Teutoniæ terror, Pannoniæq; fuit.
Hunc Apuli timuêre etiam Melitesq; coloni,
Et qui Tyrrheni littoris arua tenent.
Quid quod finitimi reges, vrbesq; propinquæ,
Vicinique duces bella cruenta gerunt.
Oppida quis neſcit terræ ſubmerſa tremore,
Forſan & ad ſtygios præcipitata lacus.
Quis de diluuio ſimili non audijt imbre?
Qui mihi Parthenopes viſus in vrbe fuit.
Quas mare, quas Rhenus, quas cætera flumina
Ediderint, querulo quilibet ore refert (ſtrages
Agmina morborum, naufragia ſæua, tumultus,
Incenſasq; domos quis numerare queat?
Quid priuata canam quæ me tetigêre pericla,
Hoſpes in Auſonia dum regione moror.
Dum pedibus niueas perrepo frigidus Alpes,
Apenninigenas inter & erro feros.
Quot metui noctu fures, quot luce latrones,
Ah quoties hoſpes durior hoſte fuit.

Sæpius insidias blanda mihi voce parauit,
Turba nimis loculis insidiosa meis.
Qua Picœnus ager vicinos aspicit Vmbros,
Sum semel indomiti verbere læsus equi.
Qua Caieta tuas, Thuscum mare, circuit arces,
Præda ferè Turcis, piscibus esca fui.
Pene semel perij defessus, in Alpibus inter
Profundas humero dum tenus erro niues.
Huic tamen infausto plenoq; laboribus anno,
Quis nostrum potuit credere? finis adest.
Per tamen hos casus & mille pericula vitæ
E Latio redij, laus sit honorq; DEO.
Laus sit honorq; tibi, puer ò dulcissime Iesu,
Qui modo de casta virgine natus homo es.
Tu mihi care puer, duris spes vnica rebus,
Duxq; comesq; meæ tu puer alme viæ es.
Ipsa etiam soli tibi grata Ecclesia laudes
Dicit, ab innumeris te duce tuta malis.
Sed nunc quando nouæ Iani rediere Calendæ,
Strenaq; iam socijs est noua danda meis.
Quæ tibi Christe tuo pro munere munera reddã
Quamue tibi strenam paruule Christe ferã?

Tu

Tu pro me fragiles hominis puer induis artus,
Et pateris, fuerant quæ patienda mihi.
Tu solus ductorq; meus, custosq; fuisti,
Per mare, per terras, difficilesq; niues.
Sed tibi quid? quæ dona puer mellite rependã?
Ipse tenes vnus totius orbis opes.
Non igitur vitulos, non pingues mactо bidẽtes,
Victima non oculos cum iuuet vlla tuos.
Non etiam benefacta meæ tibi prædico vitæ,
Nulla ea sunt, miseri tu miserere Deus.
Cor tibi Christe tuo conspersum sanguine dono,
Propitia capias quod puer alme manu.
Hospitiumq; negat quoniam tibi perfidus orbis,
Præbeat hospitium cor tibi dulce meum.
O vtinam lux illa citis cita prouolet alis,
Qua tam magnifici principis hospes ero.
Hunc ego corde fouẽs nil terrã, aut sydera cœli,
Nil mare, nil stygij tartara curo lupi.
Hæc tibi strena puer, placeat, mitissime Iesu,
Quam dare iam potui, maxima dona dedi.
Inter sed reliquos quæ distribuentur amicos
Munera, pro meritis officijsq; pijs.

Inprimis tibi Marbachi quæ dona rependam?
O mihi dilecti patris amande loco.
Te duce prima puer vitæ documenta beatæ,
Et didici veræ relligionis iter.
Tu patri fratriq́ meo sincerus amicus,
Iuuisti officijs meq́ meosq́ tuis.
Nunc quoq́ Romulea sum quādo reuersus abvr
Huc, vbi Rhene tuis iungitur Ellus aquis. (be,
Tu rigidum niuibus, fessumq́ labore viarum
Iussisti hospitij tecta subire tui.
Quid sacros tibi sermones, quid cætera laudē?
Quæ mihi mirificis complacuere modis.
Singula quid celebrem? rerū me copia vincit,
Verbaq́ sunt meritis inferiora tuis.
Quas igitur grates & quæ tibi munera reddā?
Sancte vir, & vestræ pulchra corona scholæ.
Si patrias mihi diuitias fortuna dedisset,
Aut alibi certas contribuisset opes:
Prima hæc cura foret nostris infixa medullis
Gratia par meritis posset vt esse tuis.
Sed mihi diuitias fortuna negauit iniqua,
Quod satis est parca vix dedit illa manu.

Sed

Sed dederit ſane: quæ res merita illa rependet,
Quæ nec verba ſatis commemorare queunt?
Ergo nec argentũ, nec gemmas reddo, nec aurũ
Dent ea quîs largas arca miniſtrat opes.
Mens tibi grata magis, gemmis auroq́ placebit,
Exuperat cunctas gratia mentis opes.
Hanc tibi deuotam certo pro munere dono,
Hæc retinet meriti pignora cuncta tui.
Huic quoq́ pauca meæ coniũxi carmina Muſæ,
Carmina ſint animi quæ monumenta mei.
Hæc etiam placido vir præſtantiſſime vultu,
Si vacat, & fas eſt, qualiacunq́ lege.
Me Deus ad Muſas libroſq́ aliquando reducet,
Et meliora tibi carmina forte canam.
Nunc quoniã gratus potius quã doctus haberi
Expeto, quæ mitto conſule pauca boni.
Hunc quoq́ felicem cum conuictoribus annũ
Opto tibi, domui, filiolisq́. Vale.

NATALIS CHRISTI ANNO LXVIII.

CHriſte tuus natalis adeſt, dulciſſima rur-
Gaudia mortales qui renouare iubet (ſum

Ejce sollicito vanas è pectore curas
Quisquis es, & læto concipe corde preces.
En hæc illa dies, atri qua regia Ditis
Diruta, non vires exeret inde suas.
En hæc illa dies, alti qua regia cœli
Panditur, & nati dicimur esse Dei.
O mellite puer, puer ò dulcissime Iesu,
Qui natus, nostræ causa salutis, homo es.
Quis te tãtus amor, quæ tam te prona voluntas
Mittit ab æthereis ad mala nostra plagis?
Tu dominus, tu Rex regum, mundiq; creator
Æquæuus summo consimilisq; patri.
Siccine siderei fastigia linquere cœli,
Ponere & in stabulo membra tenella potes?
Scilicet irati iustissima regula patris
Perstat, & æternum viuida robur habet.
Nec nisi sufficiens precium pro crimine subsit,
Flectitur, aut miseris parcit amica reis.
Hinc nos tartarei tenebrosum dæmonis antrum
Perpetuo & stygiæ pœna manebat aquæ.
Sed tu sancte puer supplex placare parentem
Dum cupis, adiungis te mihi meq; tibi.

Factaq;

Factaq́ temperies, miro pulcherrima nexu,
Iustitiæ, summi cum bonitate patris,
Rursus ad excelsi mortales atria cœli
Ducit, & in supera dat regione locum.
Salue sancte puer, salue pulcherrime Iesu,
Vnica tu nobis spes, via, vita, salus.
Tu deturbatos summi nos culmine cœli,
Sanguine restituis viuificasq́ tuo.
Sancte puer, miserere mei, tuus ecce minister
Pauper & afflicto corde precatur opem.
Respice me mitiq́ animo, vultuq́ sereno,
Vt puer es, pueri sic quoq́ pectus habe.
Sum miser & fateor, quid enim mea crimina
Cum pateant oculis omnia nostra tuis. (cælẽ,
Multa ego commisi peruersis crimina factis,
Quæ Phlegetonteo carcere digna forent.
Nulla adeo præcepta tuæ sunt tradita legis,
Quæ non criminibus sint violata meis.
Exigua est pietas, rarus timor; omnia læuo
Pectore iudicij negligo scita tui.
Non mea turbatis solum fiducia rebus
Te videt, aut à te credula sperat opem;

Non

Nõ tibi fundo preces, ſtupidoue è pectore grates
Negligit officium lingua manuſq; ſuum.
Concio ſacra meas raro pertingit ad aures,
Rarius & penetrat pectoris ima mei.
Deniq; quicquid agam pecco: naturaq; tota eſt,
Nil niſi peccatis ſordida maſſa ſuis.
Momentis igitur cunctis me vindice poſſes
Supplicio in ſtygios præcipitare lacus.
Sed tu parce meæ puer ò blandiſſime culpæ,
Parce, nec iratæ ſpicula prome manus.
Tu Deus & rex es noſter, tu verus Ieſus,
Tu ſpes, tu ſummis anchora ſacra malis.
Tu robur certum, tu conſolatio, tu lux,
Tu deſiderij maxima cura mei.
Erige me placido puer acceptiſſime vultu,
Me rege blanditijs exhilaresq; tuis.
Sum miſer, indignus, peccati mole grauatus,
Hoc tamen vt fatear, ſum maneoq; tuus.
Sum maneoq; tuus, tu me puer alme creaſti,
Tu quo confugiam ſolus & vnus eris.
Nam mea ſi reprobes vultu tu vota ſeuero,
Quo fugiam, tutum quis mihi monſtret iter?

Tu si nosse neges miserum, solatia mœstus
Vnde feram? cordi quod medicamen erit?
Sim licet impurus nec tanto munere dignus:
Auxilijs potero purior esse tuis.
Sim licet infirmus; tua Christe potentia maior,
Quam totus quicquid roboris orbis habet.
Sim cœcus; tu Christe potes mihi reddere visum,
Aegro tu medicam ferre paratus opem.
Sim malus; at bonitas tua Christe et gratia ma-
Sarcina peccati quam fuit vlla mei. (ior,
Multa licet peccem, tu plura remittere pronus,
Suauiter ad veniam corda parata geris.
Non igitur cures, quæ quantaq́; crimina lapsus
Admittam; aut quanta te pietate colam.
Sed tantum miserere mei, iustiq́; furoris
Immemor, effusas respice quæso preces.
Scilicet ipse tuis veraci numine iuras,
Viuo ego nolo necem supplicium q́; rei.
Sed potius veniam mutata vt mente priori
Poscat, & ætherei viuat in arce patris.
Ecce reuertor ego, tu Christe reuertere rursum,
Afflatuq́; tuo fumida lina foue.

Quod

Quod fragile abiectũq; vides, non contere prorsus,
Quaſſata auxilijs creſcat arundo tuis. (ſus,
Hoſpitiũ puer alme humilis non deſpice cordis,
Hic tibi ſit requies, hic tibi grata domus.
Et tua cum denſas feriet tuba cantibus auras,
Et leuis hoc mundi flamma reſoluet opus:
Hanc animam rutuli recum fer ad atria cœli,
Tuta ſit in manibus ſemper vt illa tuis.

NATALIS CHRISTI ANNO LXIX.

CHare puer, dilecte puer, blandiſſime Ieſu,
Qui nobis iã natus homo, præſepe tenellis
Molliculisq; premis membris: dũ limina luſtrãs
Singula, non ſupereſſe locum tibi mater anhela
Sentit, & in ſtabulo ventos & frigora perſert.
Huc ades, hoſpitiumq; mei non deſpice cordis,
En ego te excipioq; libens, crebroq; vocatum
Expeto: blande puer non dedignare vocantem.
Huc huc mitis ades, collo & puerilia nectens
Brachia, me riſuq; tuo vultuq; venuſto

Erige

Erige, & optatam capias in corde quietem.
O mihi quam gratus, quam crebra voce petitus
Hoſpes eris, quam te ſtudioſa mente fouebo:
Quam tibi grata libẽs faciã dicãq́, nec vnquã
Flaminis auxilio ſacri mea corda relinques.
Tu ſanguis fraterq́, meus, rex ætheris idem,
Induis humani pueriles corporis artus,
Par mihi, conſimilisq́ puer, vereq́ vocaris
Emanuel meus, & conſors ſociusq́ laborum.
Hoc igitur vitæ ſocio hoc conſorte triumphans,
Spicula iam, mortisq́ minas, & iurgia legis
Curo nihil, Sathanæ patulos derideo rictus.
Si placet, en minimũ mihi curua in vertice cri
Sæue Sathan, rabiẽq́ tuã fœdo exere vultu. (nẽ
Nil ego te furiasq́ tuas moror. ille puellus,
Paruulus ille, tuas vel nutu conterer iras,
Maior hic eſt toto, licet omnia contegat, orbe.
Huic ego confido, huic toto me pectore dedo,
Ille caro de carne mea, de ſanguine ſanguis,
Huic ſine fine cano grates, hoc glorior vno.
Si tua vis totum potuit ſibi ſubdere mundum;
Cur adeo pueri exhorres puerilibus armis?

Si potes, hunc contra conceptas exere flammas,
Si potes, hunc puerũ violentis opprime telis.
Sed tu ſanc̃te puer, miſero qui natus in orbe
Es ſoboles hominis; ſummouit quandoq; parenti
Natus adoptarer: qui pauper in orbe fuiſti;
Vt mihi diuitias & gaudia vera parares:
Qui miſer in ſerui forma et contẽptus oberras;
Vt ſim liber ego: moreris qui corpore cinctus
Mortali; vt repares nobis cœleſtia vitæ
Gaudia: ſubmiſſo veras tibi pectore grates
Dũ cano, mitis ades, prono et mihi numine mẽ-
Illuſtra, vt tibi grata, tuas ſpectãtia laudes (tẽ
Et loquar & faciam, crudelesq; impiger hoſtes,
Cum ſuprema dies fatiq; aduenerit hora.
Nil metuam, placidisq; animis te glorier vno,
Læta Tyrannorum vt rabiem patientia vincat.

IN

CHRISTI.

IN

NATALEM CHRISTI SERVATORIS, ORDIENTEM Annum M. D. LXX.

AD

GEORGIVM HANIVM ADOlescentem nobilissimum, domesticum suum.

CAre tuis, multumq; mihi dilecte Georgi,
Fallor an, & generis fama future tui.
Annua distribuo dum caros inter amicos
Munera, quæ fausti temporis omen habent;
Quæ tibi conueniens dabitur carissime strena
Rectius? officij pro ratione mei:
Quam quæ de puero conscripsi carmina Iesu,
Auspice quo felix totus hic annus erit.
Illa igitur cape, quæ nostrum testentur amorem
O patris & studij mutua cura mei.

Te puer, optato quem virgo puerpera partu
Edidit, in seros curet ameq́; dies.
Dirigat ingenium, mores, & lubrica vitæ
Tempora, nec fluxas has sinat esse preces.
Vt crescens ætate simul, mentisq́; vigore,
Esse tuis possis carus & esse Deo.
Et matri patriq́; tuo diuturna voluptas,
Sis columen genti præsidiumq́; tuæ.
Nobilitas non diuitijs & nomine constat,
Sed vita, & magnis in patriam meritis.
Natali puer alme tuo quid rectius vnquam
Fecero, quam cunas si celebraro tuas?
Tu modo Christe faue, cupidã tu dirige linguã,
Promptior instinctu fiat vt illa tuo.
Te sine nemo tuas potuit bene dicere laudes,
Te sine nemo videt, te sine nemo sapit.
Ergo ades, addictamq́; tibi non desere linguã,
Te duce facundam quæ modo balba fuit.
Vnde sed incipiam? variarum copia rerum
Et grauitas cœptum continuare vetat.
Progredior tamẽ; infantem non respuit infans,
Huic ego si placeam non aliena moror.

Terra-

Terrarum cœliq́ potens, puer edite cœlo,
Aetatum serie luciferoq́ prior,
Te cano; mortales alij mortalia laudent,
Tu, diuine puer, tu mihi carmen eris.
Te puer in toto nullus præstantior orbe
Nec fuit, & posthac par tibi nullus erit.
Semidei passim iactent sua pignora reges,
Progeniem iactet quælibet aula suam.
Hic est ille puer, magni quem machina cœli
Et mare cum ventis sideribusq́ tremunt.
Qui luna prior & stellis ante omnia natus
Tempora, rex superum cum genitore fuit.
Hunc tamẽ immensi quẽ non capit orbita cœli,
Fœcunda genitrix virginitate capit.
Hunc tamẽ (in toto nã condidit omnia mundo)
Iam parit à nato virgo creata suo.
O cœli vis magna, Dei miranda voluntas,
O res angelicis sæpe stupenda choris.
Factorem peperitne suum castissima virgo,
Maiorem mundo numne puella tulit?
Numne puella vnquã facta est, maris inscia,
Numne puerperij vincula virgo tulit? (mater?

Hæc animis maiora, meæ nec peruia menti,
Credere quæ iussit cum pietate fides.
Credo igitur, Deus ipse suo quæ credere verbo,
Dissona sint quamuis à ratione, iubet.
Hoc lux in tenebris nostra est, mendacia mũdi
Quæ stolidi supera sæpe repellit ope.
Hæc mihi si præeat, Iudæas conspuo fraudes,
Et Mahometigenas nil ego curo Scythas.
Despiciant illi sua per ludibria, cunas,
Et matrẽ, & stabulũ paruule Christe tuum:
Dummodo nos vero te concelebremus honore,
Et placeant oculis paruula dona tuis.
Scilicet ille tumens quæ maxima iudicat orbis,
Et quæ thesauros diuitiasq́ putat;
Nil ea sunt nisi puluis iners, & turpis egestas,
Si cum diuinis æquiparare velis.
Quæ contra stolido plane abiectissima fastu
Plenaq́ pauperie plena pudore putat;
Hæc summæ sunt diuitiæ, sunt vera piorum
Gloria, mundanis non redimenda bonis.
Maxima Roma fuit, Solymæ sanctissima proles,
Cum, qui semper eras, natus in orbe fores:

Non

Non tamen Ausonia te quærit pastor in vrbe,
Regina imperij sit licet illa sui.
Non quærit Solymæ, quamuis caput illa sacrorũ
Et veteris sedes relligionis erat.
Bethla tibi placuit miseris habitata colonis,
Hic etiam stabuli frigida tecta subis.
Quisquis es, hic Christũ lacero sub culmine quæ-
Huc retrahit dubios præuia stella Magos. (rc,
Scilicet illi etiã Solymæ sacra templa petebant,
Decepti celebris relligione loci.
Hic illis subito mirandum euanuit astrum,
Nec mundi Solyma lumen in vrbe micat.
Bethla Magis repetẽda fuit, pauperrima Bethla,
Hic iterum tenebras conscia stella fugat.
Stella Dei verbum, duce quo constanter euntes,
Inueniunt sedes ò puer alme tuas.
Splendida sectantes alij, persæpe tenebris
Immersi, stygijs præda feruntur aquis.
Tu quoq; stella meos pulcherrima dirige gressus
Vt pueri videam regia tecta mei.
En video. mirande puer, puer optime salue,
Vnica spes vitæ præsidiumq; meæ.

NATALIS

Tu patris æterni vera & sanctissima proles,
Quem sibi promissum sæpe petiuit Adam:
Quem reliqui petiêre patres, iam nasceris orbi,
Et Deus & fragili corpore verus homo.
Corpore par nobis, par maiestate parenti,
Sed vitijs animus, corpora labe carent.
Tu puer ille meæ vindex auctorq; salutis,
Qui prius æterna morte premendus eram.
Tu puer ille mihi recludens limina cœli;
Quem prius infernæ pœna manebat aquæ.
Hei mihi, nos viles animas, mortalia tantum
Corpora, sic summus curat amatq; Deus?
Hei mihi, quod nobis nil tale merentibus, vltro
Consortem regni dat pater ille sui.
O mirandus amor. quid ego mortalis & æger?
Vt pro me æternus membra caduca gerat.
Quidnã promerui peccato & crimine plenus?
Vt pro me iustus crimina tanta luat.
Quid malus inuisusq; Deo? puer optimus ille
Linquat vt ætherei patria regna poli.
Mancipium quidnam Sathanæ? quid filius iræ?
In mortis natum pertraho vincla Dei?

O nullo

O nullo bonitas vnquam enarrabilis ore,
Carmina & ò meritis inferiora tuis.
Sancte puer, diuine puer, dulcissime Iesu,
Tu pateris, nobis quæ patienda forent.
Tu cœli dominus, mortali in corpore seruis;
Liber vt in cœli regna reducar ego.
Nudus inopsq; iaces; in cœlo vt purpura nobis
Aeternæq; olim restituantur opes.
Aurea stelliferi tu deseris atria cœli,
Terrenaq; miser mole grauatus ades:
Vt terrenus ego cœlesti sede recipius
Gaudia cũ superis non morituras agam.
Sic tamen abiectus misera tellure vagaris,
Mundus vt arbitrio stetq; cadatq; tuo.
Pauper es; & toto nemo est te ditior orbe,
Paruus es; & nemo maior in orbe fuit.
Exul es; & totus vera est tibi patria mundus.
Seruus es; & cœli regna beata tenes.
O seruum verè dominum: ò ter maxima parui
Robora, & exilij patria certa tui.
O diues vere paupertas. inclyte salue,
Et mihi plus oculis care puelle meis.

NATALIS

Tu meus es de carne mea de ſanguine frater,
Stelliferæq́ tenes lucida regna plagæ.
Te ſine nulla mihi vita eſt, pars altera noſtri
Tu puer es, cordis dimidiumq́ mei.
Hoc vitæ ſocio ſummo hoc conſorte triumpho,
Hic fidei poſita eſt anchora certa meæ.
Pars de carne mea ſupera quod ſede recepta
Pertrahet in ſuperam meq́ meosq́ domum.
Sancte puer, venerande puer, ſuauiſſime Ieſu,
Me recrea vultu blanditijsq́ tuis.
Blande puer, mellite puer, mitiſſime Ieſu,
Da mihi ſuauiolum, da mihi baſiolum.
Perpetuumq́ meo clemens in corde quieſce,
Donec in hoc calidus corpore ſanguis erit.
Et poſt exactæ mortalia tempora vitæ,
Inſere ſidereis me, puer alme, choris.

NATA-

CHRISTI.

NATALIS CHRISTI SERVATORIS ORDIENS Annum M. D. LXXI.

AD GEORGIVM A MENCINGEN. puerum genere & indole nobilem.

CAre puer, tibi de puero quæ carmina Ieſu
Compoſui, ſtrenæ diuitis inſtar habe.
Aurea dent magni, qui poſſunt, munera reges.
Ditior hunc puerum qui bene nouit erit.
Hunc igitur mecum precibus venerare profuſis
Curriculum vt vitæ dirigat ille tuæ.
Quo matri quandoq́; tuæ patriæq́; voluptas
Et Mencingiacæ ſis noua fama domus.

ERgo iterum poſitis mens expergiſcere curis,
O mea mens, cohibe luctus: cor palpitet æſtu
Lætitiæ, ſaliantq́; imis præcordia fibris.
Hæc eſt illa dies domini, Seruator in orbem

Qua

NATALIS

Quavenit, mœstoq́ dedit noua gaudia mundo,
Gaudia iam patribus dudum expectata, pijsq̃
Omnibus, hac misera tellure morantibus olim.
Illius exortu risit pulcherrimus æther:
Angelici cecinere chori, pecorisq́ magistri
Alternatim illis læti responsa dederunt.
Sic cœlum terraq́ simul noua fœdera iungũt.
Salue sancte puer, salue pulcherrime Iesu,
Spes generis vitæq́ meæ. sed spretus in orbem
Curq́ adeo venisti humilis? præsepia cunas,
Tectaq́ dat stabulũ; vestem, bouis halitus; arens
Herba toros: frigusq́ focum; ventiq́ susurros:
Cum tamen immenso late domineris in orbe.
Tu pompas odisti hominum, fastusq́ superbos,
Solarisq́ tuos, tua qui vestigia passim
Sectantur miseri, neglecti, atq́ omnium egeni:
Exemplo qui sæpe tuo noua robora sumunt.
Si grauiora tulit pro me puer aureus ille;
Cur ego non leuiora feram? leuiora quid autem
Dicimus? heu minimam non exæquantia partẽ
Quæ puer ille tulit, nostræ spes vna salutis.
I nunc & nimias propria de sorte querelas

Inge-

Ingemina, vt facimus ſtolidi: nõ pulchra ſupel-
Nõ ſatis apta domus tibi ſit: nõ mollia ſtrata (lex
Non vnõti lautiq; cibi: non commoda veſtis:
Non memores meritorũ homines: nõ ære crume
Turgida: non nitidis fundata pecunia villis (na
Cum tanto hoc puero nil ſit contemptius vſquã;
Nil miſerabilius, nil toto abiectius orbe.
Solamen miſeris, documentum illuſtre ſuperbis
Hoc erit, & mundi faſtum contunder inanẽ.
Maieſtate ſuos terrent, ceu fulmine, reges;
Hic tibi pauper adeſt, non auerſare iacentem.
Eſt puer, amplexusq; tuos & brachia poſcit:
Brachia quid ceſſas tenero circumdare collo?
Baſia melliris quid figere mille labellis?
En puer eſt, ſuauiq; omnes bonus allicit ore:
Sed talis puer, immenſo cui nullus in orbe
Par fuit: huic tellus, huic alti ſidera cœli,
Huic mare cum ventis ipſis, huic omnia parẽt.
Naſcitur vt mortalis homo, mortalibus oris;
Imperat vt vaſti moderator maximus orbis.
Interit exanimis, moribundo vt corpore cretus;
Vt Deus ex tumulo, deuicta morte, reſurgit.

Scilicet

Scilicet vt nobis vitam, æternam q; ſalutem
Reſtituat, ciues q; ſuis nos ciuibus addat,
Donet & æternam, dextra victrice, coronam.
Omnipotens & ſancte puer, puer optime Ieſu,
Nate mihi, donate mihi, mea vita, meum cor,
Tu rege ſidereo noſtram dux flamine mentem:
Luce tui verbi dubium tu dirige vitæ
Curriculum: & ſacris verbi firmato ſigillis
Lactentis fidei ſcintillam, vt robora ſumat,
Vis quibus eſt magnũ cogendi magna tonantẽ.
Ad cœlũ angelicis tu me comitare miniſtris:
Vt viuens, moriens, ſuperata ex morte reſurgẽs
Sim maneam q; tuus, qui te celebrare, tuis q;
Poſſit in æternum grates perſoluere cunis.

NATALIS CHRISTI DEI ET VIRGINIS FILII Anno M. D. LXXII.

ENiterum diuine puer, puer optime Ieſu,
Dicimus ad cunas carmina pauca tuas.
Chriſte

Christe faue laudiq; tuæ nostroq; labori,
Afflatuq; tuo linguam animumq; rege.
Sed quid ego cœli miracula tanta referre
Aggredior, superis iure stupenda choris?
Hic virgo, æternùm virgo, simul innuba mater,
Edit ab æterno iam genitore satum.
Luciferoq; prior, prior omni temporis æuo,
Sustinet hic æui tractibus esse minor.
Qui rerum pater est, totum qui condidit orbẽ,
Nascitur hic matris conditor ipse suæ.
Qui patris æterni est natus ter maximus vnus,
Terrenæ hic matris filius esse cupit.
O nox exoptata diu, nox aurea salue,
Aurea nox, tanti conscia prima boni.
Te mundi rector luci præferre diurnæ,
Et lucis voluit vincere fonte diem.
Tu tenebrosa licet tenebras iam discutis orbis,
Tetraq; tartareæ te fugit vmbra domus.
Iura necis mortisq; iacent obducta lituris
Sanguineis: vitæ lux redit orta nouæ.
Pastorum nocturna manus, carissima cœlo,
Consilij testem te deus esse sui.

NATALIS

En voluit, tibi sidereas spectare cohortes
Contigit, & pueri membra videre Dei.
Vagitumq; nouum diuini audire puelli,
Sidera quo cœli clarius orta nitent.
Cuius inauditis arridet fletibus æther
Pulchrius, & media sol quoq; nocte micat.
Cuncta elementa Deo gaudẽt nascente tenello,
Solius ast hominis ferrea corda rigent.
Euigila mortalis homo, cor proïce ferreum,
En pro morte tibi iam tua vita redit.
Vita tibi infinita redit, quam primus Adamus
Sustulerat lapsu criminibusq; suis.
Gaude igitur, iam vera quies, atq; optima pacis
Hoc tibi cum puero fœdera parta manent.
Hic animæ pastor verus, qui pabula vitæ
Sufficit, & viuæ flumina monstrat aquæ.
Quo duce non æstũ metuat, non frigora brumæ,
Non ouis vlla famem non ouis vlla sitim.
Hic ille Oceanus refluo de fonte recurrens,
E quo verarum copia manat opum.
Nunc inferne tuos tandẽ lupe contrahe rictus,
Comprime tartareas mors violenta manus.

Cessa

Ceſſa animas inhiare pias Acheruſia porta,
Iam Moſe tabulas legifer abde tuas.
Præda quibus mortale genus fuit hactenus: ijdē
Huic iterum puero præda cruenta cadent.
Hic clemens animi, miroq́ impulſus amore
Ablatum à nobis perferet ipſe iugum.
Noſtrū onus imponens humeris, nobisq́ reponēs
Munera, vulneribus ſed redimenda ſuis.
Salue ſancta parens, iterum pulcherrima ſalue
Salue vterum cœlo quæ geris vna parem,
Maioremue etiam. tu fers qui te tulit omni
Tempore, te dudum qui capit, ipſa capis.
Tu mater patris es, proprij tu filia nati,
Mater, & amplexus neſcia virgo viri.
Tu dilecta Deo, tu ſola puerpera cœli es,
Per quam mortali gloria tanta venit.
Salue etiam venerande puer, mitiſſime Ieſu,
Et deus & puro corpore verus homo.
Corpore verus homo, verus deus omnipotenti
Numine, quæ miris vnio mira modis,
Attonitos facit humanos in pectore ſenſus,
Mentibus angelici non penetranda chori.

Integer integro, tori tu totus inhæres,
Mutatumq́; nihil, quod fuit ante, fuit.
Tu quò qui fuerã, fierem immortalis, et insons,
Qui nunquam fueras, factus es ipse nocens.
Vtq́; nocens, quod erã, purgando perdere possem
Nil tibi quod fueras perdere cura fuit.
Salue iterum miranda salus mortalibus ægris,
Salue iterum vitæ spesq́; caputq́; meæ.
Te nato mihi vita lucrum, mihi gloria nasci,
Te sine, nasci obitus, te sine vita mori est.

NATALIS IESV CHRISTI, PASTORIS ANIMARVM vnici. Anno M. D. LXXIII.

Cũ tibi Christe Deus, qui par virtute coæuo
Es patri, et paribus mũdũ moderaris habenis,
Vsq; adeo placeat puerili voce quotannis
Laudari: & pueri non auerseris amicum
Nomẽ, vbi exhilarant tenerã munuscula pubẽ:
Cur ego mente puer, licet annis maior, eundem

Non

Non imiter morem? cur incunabula læto
Pectore non celebrem totius tempore vitæ?
Vtq; puer puerum puerili carmine laudem?
Nil obstat. mellite puer, dulcissime Iesu,
Nunc mihi pastorum præconia, iubila, plausus,
Natalem, cunasq; tuas celebrare volenti,
Suggere, et æthereis comple præcordia flammis.
Scilicet hi primi angelicas videre cohortes,
Hi primi videre Deum, mundiq; salutem,
Hi fixere Dei teneris prima oscula labris,
Protinus & tali replerunt æthera cantu.
Ergo animæ pastor verus, tot vatibus olim
Tot patribus speratus adest, de Dauidis ortus
Progenie pene extincta. nox aurea salue
Ex superans splendore diē. Bethla inclyta salue
Tu stabulumq; tuum, pastorum maximus ille
Quo natus iacet, & pecori solamina præstat,
Depellitq; lupos, teneros q; in ouilibus agnos
Asserit, & proprio securos sanguine reddit.
Hic ille est pastor, qui syluas, flumina, fontes,
Qui flores, herbasq; omnes, & pascua læta
Condidit, & patrio mitis conseruat amore.

Hoc paſtore, gregi non pinguis gramina campi,
Non flores deerunt, non lac paſtoribus ipſis,
Non fœtus ouium teneri, aut munimina ſepti.
Non taxi, non iuniperi grauis vmbra canentẽ
Paſtorem affliget. ſub quauis arbore tutus
Ille iacens, veteres Chriſti paſtoris amores
Securus repetet; qui matris ab vbere curam
Suſcipit ipſe gregis, tetrumq́; ingreſſus in antrũ
Serpentẽ igniuomũ extraxit, linguamq́; minã-
Luctantisq́; caput victrici calce ſubegit. (tis
Sic agris optata quies, pax aurea ruri
Eſt nata, & nullos metuunt armenta leones,
Non pardos, ſæuosq́; lupos, vulpesq́; doloſas.
Ipſe etenim paſtor, victo ſerpente, ſuarum
Cura ouium flagrat, quas veræ ad pabula vitæ
Cæleſtesq́; adeo flores, & flumina fontis
Nectarei ducit, dextræq́; has protegit vmbra,
Suſtentatq́; manu inuicta, nec deſerit vnquam
Quas ſemel arripuit: nẽo illi impune vel vnã
Contrectarit ouem: nec pro grege ponere caram
Optatamq́; animã dubitat: quã deinde reſumet.
Aetherea virtute potens, cæloq́; receptus,

Prata

Prata erepta ouibus vindex reparabit, & illas
In ſeptum antiquum ſua per veſtigia ducet.
Interea dum terrenis grex paſcitur herbis,
Præficiet ſtabulis notos virtute moloſſos,
Qui verbi latratu vrſos, ſæuosq; leones
Funeſtosq; lupos abigant, vulpisq; malignæ
Diuulgent fraudes, purisq; à floribus arceant
Serpentes, fictoq; latens ſub melle venenum.
Donec in æterno ſibi oues coniungat ouili.
Hæc illi vnanimi ſub noctem voce canebant.
Vos etiam Chriſti de nomine nomen adepti
Huic ſummo paſtori ouium, pecorisq; magiſtro
Exultate omnes, lætiq; ad ſidera palmas
Erigite, angelica plauſu præeunte caterua,
Illiusq; caſam gaudenti accedite vultu,
Ardentesq; preces ardenti effundite corde.
Hoc viuo ferus ille lupus quem Sequanis ora
Cæde cruentatum decepto immiſit ouili,
Efficiet nihil, & rictum diſtendet inanem.
Hoc viuo, leo crudelis rabieq; timendus
Heſperia, dudum noſtris graſſatus in agris,
Concidet exanimis, propriosq; in propria dentes

Viscera conuerteret, dudum sublatus in altum,
Vt lapsu grauiore ruat, fastumq; remittat.
Hoc viuo quoq; sceptriferam quæ Tibridis vrbẽ
Fraudum opifex fraude inuasit crudelis hyæna
Mentito grege pastorum comitata, bonique
Pastoris titulos iactans, sed pestis ouili,
Dediscet spirare minas, nugasq; canoras,
Innocuique luet pœnam quandoq; cruoris:
Inferno immersa, æterni dum limen ouilis
Pandere se solam, se solam claudere iactat.
Interea tutum supremus pastor ouile
Ipse dabit solus, supremi & iudicis olim
Officio fungens, hircis, caprisq; remotis,
Ad meliora suos cælorum pabula ducet,
Vnus vbi vnius regnabit pastor ouilis.

FINIS.

LECTORI.

EXtat in operibus Georgij Fabricij V. CL, præceptoris et hospitis quondam mei, libellus amorum Filij Dei, quem opera quadam anniuersaria, natalem Christi celebrando, ille confecerat, & in Elegias distribuerat septem. Eam autem consuetudinem postea quoq; optimus ille & sanctissimus vir, quam diu sanè licuit, quotannis studiosè obseruauit. quo factum est, vt post septem illas, quinq; iam aliæ supersint elegiæ, eiusdem argumenti: quæ tamen in Oporini editione, cum ea totidem annis mortem Fabricij præcesserit, non continentur. Operæ igitur precium facturum me existimaui, si eas, sicuti quo-

tannis ſtrenæ loco ab ipſo auctore ad me miſſæ ſunt, hoc loco ſubiungerem, & cum pietatis eruditæ ſtudioſis communicarem. Quod nemini exiſtimo fore ingratum. vale.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS AMORVM Filij Dei

ELEGIA VIII.

IN IESV CHRISTI DEI ET HOminis Natalem. An. M. D. LXVIII.

MAGI PERSARVM.

NOs etiã ſine luce homines, ſine numine gẽtes,
Atq; Lycaoniæ ſubdita regna plagæ:
Iaperi durum magni genus, impia corda,
Adiungis populo Chriſte benigne tuo.

Sic

Sic Perſas olim longis Orientis ab oris,
Inſolito ad cœlos lumine, Stella vocat.
Vt rutilent toto clariſſima ſidera mundo,
Eſt tamen iſtius ſideris vnus honor:
Quod non perpetuo decurrit tramite, curſum
Sed tenet inſuetum, lumen agente Deo.
Natus erat parua cœlorum rector in vrbe,
Naſcendum, veterũ carmina fida probant:
Surget enim, Bileamus ait, de gente futura
Iſacidûm, nitido ſtella videnda polo,
Luce ſua Gentes Domini monitura potentis,
Et ſparſura nouam latius inde facem.
Aſſyrios priſcis docuit qui temporis annis,
Magnaq; turritæ pars Babilonis erat,
Externis Chriſtum præmõſtrat gentibus, æuum
Indicat, exactos computat atque dies.
Iſacides ſceptrum populo cum vidit ademptũ
Meſſiam terris vidit adeſſe Deum:
Qui propria acceſſit, primũ miſeratus Ebræos.
Iamq; ſacra genitus virgine, vagit homo,
In caſulaq; iacens, brutorum ceſpite, quidnam
Hoſpitium præter? ſi tamen hoſpitium:

Mundi rector habet: nam sedem peruius euris
Dat locus, immundi stratag; dura bouis.
Quē cùm nemo Deum posset cognoscere, nemo
A patre demissum crederet esse Deo:
Mirificis aperit se per miracula signis,
Qualia gens nunquam viderat vlla prius.
Angelicas audit turmas Iudæa loquentes,
Stellag; Achæmenidis lumine, verba facit:
Quæ nondum linguis hominū potuere referri,
Iam sidus rutilo fatur ab axe micans.
Hei mihi quid fuimus, cùm gratia tanta refulsit,
Cælorumq; aliis esset apertus honor?
Scilicet exortes sensus, & stulta colentes
Vmbris addictum dæmonijsq; genus.
Tunc fabri fecere Deos, diuumq; parentes,
Malleus, incudes, runcina, tornus erant.
Ante, suis manibus quod finxerat ære vel auro,
Heu quoties iacuit, qui fabricarat opus.
Quos pueri baculis abigunt, Aegyptius adorat,
Arida rodentes & colit ossa Canes,
Quasq; herbas tondent altis in montibus agni,
His nudum flectit Satis honore caput.

Omnia

Omnia quid memorem ludibria, plena pudoris
Semideos homines, semi homines q; Deos?
Hi Capræ gessere pedes, hi cornua Tauri,
Illis pluma, alijs frigida pinna fuit.
Aurea Roma Deæ construxit fana Cloacæ,
Aram cum Scabie Febris anhela tulit.
Tales nos hostes non odit, & acta furore
Corda: sed ad cœlos aduocat ipse Deus.
Ad Gentes nunquid castos iubet ire Prophetas,
Qui fictis adimant nomina vana Dijs?
Destruxit Daniel Mithrã, Iosephus Onuphim,
Atq; Semiramias pisce voratus aues.
Nunc etiã Arbacidis (hi vatũ dicta tenebant)
Ad fines Solymos sidere monstrat iter,
Dat signum, signiq; fidem, mentẽq; sequendi,
Susceptamq; viris anteit ipse viam.
Sponte Deus socium sese quærentibus addit,
Obuiaq; est cupidis gratia prompta Dei.
Dona legunt, nec adhuc visum, Regẽq; Deũq;
Pontificemq; datum gentibus esse sciunt,
Aurũ, Thus, Myrrhã stipant, auideq; profectis
Nec timidam faciunt terra, nec vnda morã.

Igna-

Ignaris animis ſapiens venit vnde cupido?
Scilicet hanc acuit mentibus, vna fides.
Ventum erat ad terras optatas: Stella recedit,
Pectora ſollicito plena fuere metu.
Quid faciant? redeant? pugnãt formido fides q;
Pergant? quã teneant non bene nota via eſt.
Dum q; putant genitum præluſtri regis in arce,
Quem regem populi dixerat eſſe Deus,
Falluntur miſera ratione: nec inuenit illa,
Cœleſti ni ſit fulgida luce, Deum.
Diſcors attonita vulgatur in vrbe tumultus,
Quidue ferat Medus plura per ora volat,
Diſcite ab hoſpitibus Meſſiam quærere ciues,
Pene iacet veſtras editus ante domos.
Conueniunt curæ quîs patria ſacra, Magiſq;
(Mira loquor) monſtrant cum regione viã.
Egreſſis vrbem Perſis pia dicta ſecutis,
Stella redit radijs conſpicienda ſuis.
Inueniunt Chriſtum verbo, non lumine ſtellæ,
Stella tamen verbo fecit adeſſe fidem.
Regni, militiæ, ſtudiorum laude celebres,
Et prima inſignes nobilitate viri:

Infantem

Infantem cernunt, & regem gentis adorant:
In ſtabulo poſiti, mente adiere polum,
Quæq́, recondiderant Eois munera campis,
Regi, homini, atque Deo, ritè dicata, ferunt.
Non illum aſpiciunt aut lumina ponere cæcis,
Aut claudo greſſus, & ſtabilire pedes.
Cernua quæ terræ fuerat, non erigit ora,
Non membrum neruis debile ſentit opem,
Mortuus imperijs eius non ſurgit ad auras,
Nec viget aut arens aut ſtupefacta manus:
Attamen eſſe Deũ norunt, dantq́, oſcula paruo,
Inclinantq́, humiles ore precante genu.
Angelus Euphratis primùm comitatus abunda
Rurſus adeſt, trepidis quæq́, ſequenda docet.
Ite viam facilem, nec tempus ducere prodeſt,
Herodes rabida ſuſcipit arma manu.
Iam puerum quærit, matrẽ ſuper ipſe daturus,
Stringit & in veſtrum Romula tela caput.
Mens illi cæde & furijs extinguere Chriſtum,
Dum metuit regnis vltima fata ſuis.
Diuerſa rediere via: nam credere cœpit
Qui verè, hunc vereri non decet ire gradu.

Iamq́,

Iamq́ domo Medus tutusq́ ſacerq́ receptus,
Viſa ſtupenda refert, & noua facta canit:
Stabat Tigris ouans, & grandior ibat Orontes,
Elæo eſt ripas continuiſſe pudor.
Vidimus aiebant puerum, teneroſq́ voluti,
Ante pedes, verum ſenſimus eſſe Deum,
Venturum vates quem prædixere ſacrati,
Qui noſtro exilium triſte tulere ſolo.
Gens dilecta Deo, varijs elata triumphis,
Victaq́ victores iuſſa docere duces,
Quã non naphtha vorax hauſit, non flãma ca-
Non leo terribilis, terribilisq́ draco: (mini,
De qua certa ſalus cunctis, & vita petenda,
Eſt quibus excelſo cura placere Deo.
Scilicet ille Deus, cuius quoq́ gloria noſtris
Regibus, antiquo tempore, nota fuit.
Pabula qui carpſit ſiluis inſueta ferarum,
Vberaq́ expoſitus traxit amica canis,
Hi poſuere pijs edicta parentibus, atq́
Vni, vni huic cultus exhibuere Deo.
Hæc vox Aethiopas populos peruaſit, et Indos,
Si quid & vlterior forſan Eous haber.

Hæc

Hæc & ad Arctoas, damnatas frigore, Genies
Transijt, atq; istum durat ad vsq; diem.
Christe triumphatum fortissime suscipis orbẽ,
Regnaq; sub pedibus maxima victor habes:
O vtinam nostra posset tibi gratia voce
Pro tantis meritis officiosa cani:
Qui nos horrenda positos in nocte, rebelle
Vulgus, & audaci seditione ferox:
Ausus adire prior, pacemq; offerre manumq;,
Hostes inq; tuo ferre, fouere sinu.
Lectus erat certo populus tibi fœdere, soli
Cui leges, ritus, & tua iura dabas,
Hunc obseruabas fidis, patris instar, ocellis,
Illic fama tui nominis eminuit:
Regibus hic claris laudatus, vatibus idem
Doctis, in magno maximus orbe fuit,
De quo nemo potest mortali pectine tantùm
Tangere, sunt verbo prodita quanta tuo.
Nos etiã populũ visum est tibi iungere ad istũ
Surculus externa qui modò stirpe sumus,
Iapeti soboles, in Semi castra recepti,
Et facti in populo gens numerosa pio.

Iam

Iam Chriſtum fas eſt latum celebrare per orbẽ,
Templa Palæſtini non adeunda iugi,
Rudera ſunt,olim Solymorum vbi tecta fuêre
Splẽdida,et in ſancto eſt cernere monte nihil
In quo Meſſiam læti docuêre Prophetæ,
Et verbi audita eſt voxq́ ſonusq́ Dei.
Templa iacent auro & gẽmis fundata, ſed au-
Omnibus in terris vota precesq́ Deus, (dit
Ille ſibi Natum legauit,& extulit altè,
In quo habitat ſummi ſplẽdor amorq́ patris,
Quiſquis adit tẽplũ hoc,nõ ille excluditur vn-
Cor modò ne vacuum ſpeq́ fideq́ gerat: (quã
Nec Chriſti potuit gens claudi mœnibus vrbis
Vnius,aut vno monte tenere locum:
Ergo per immenſum diffuſa Eccleſia mundũ,
Fanaq́ habent vnum tantaq́ totq́ Deum,
Qui miſeros curat,qui pronas porrigit aures,
Pro populo pugnat,qui vigilatq́ ſuo,
Cuius per gentes nomen celebrabitur omnes,
Cum cœlo donec lumina ſolis erunt.
Nos & in hoc numero,tua ſi modò gratia præſto
Non aris dabimus poſteriora tuis, (eſt,
Vtq́

Vtq; tua æterno repetamus carmine facta,
Tu ſerua preſſi membra puſilla gregis:
Ne patere effrenes in nos ſæuire tyrannos,
Corrumpi puros nec ſine Chriſte fauos:
Sic tibi mella fluant laudis, ſic nectar honoris,
Inq; decus plaudant omnia regna tuum:
Totus vt Iſraël concors ad ouile vocatus,
Cum fremitu vultum gaudeat ante tuum.

ELEGIA IX.

HOSPES BETHLEHE-MVS. M. D. LXIX.

Dic mihi Chriſte, tui, (honorem
Hoſpitis: huic etiã carmina danda viro,
Qui tibi nocte fores aperit, feſſæq; parenti
Dat, qualem potuit ſimplice mente, locum.
Extera turba domũ numero ſtrepituq; replêrat
Quiq; alij vellet cedere, nullus erat.
Vt Bethlam tardi ſera ſub nocte venirent,
Impedijt teneram qui propè partus erat.

Dumq́ hospes varijs intentus, fortè ministro
Imperat, his monstres, quẽ potes Eune, locũ.
Nullus erat tota tectorum parte relictus,
Quàm stabulum, validis strata parata feris.
Hoc aperit, purgatq́ locum, pecudesq́ remouit
Substernens madido gramina pura solo:
Tuq́ senex, & tu mater defessa, quiesce,
Non alia obsessi copia ruris, ait.
Portat aquæ, viniq́ parum, panisq́ pugillum,
Testaq́ quod frixit patria, ponit holus:
Pauper erat, quia seruus erat, sed læta voluntas
Pauperibusq́ piam fert miseratus opem.
Lectus erat fœnum, thorus è fluuialibus vluis,
Et stratum, panni: quîs sacra virgo cubat.
Horret et extremus rigida dũ nocte December,
Halitus horrentes calfacit ore manus.
Circumstant nitidi, cœlorum cura, ministri,
Quæ laudat tenues, quæq́ stupescit opes.
Mox somnus fessis obrepit gratus ocellis,
Occupat et subitus languida membra sopor:
Sed non longa seni requies: cui cura puellæ
Virginis, & grauidæ cura parentis erat.

Iamq́

Iamq; ferè mediũ tenuit nox humida cursum,
Enixa est dominum fœmina, virgo Deum.
Fortè vigil magnas errans ancilla per ædes,
Ad stabuli currit, territa luce, fores:
Patria Memphis erat, Hyrcana gente parentes,
Seruitij longo membra soluta iugo.
Inuenit infantem, matremq; appellat amicè,
Amborumq; dolet, per mala docta, vicem,
Quodq; potest, bona præstat anus: nec lumina (quærit,
Splẽduit ætherea luce repleta domus.
Conspicit angelicas rutilo fulgore cateruas,
Audit & insolitos plena pauore sonos.
Tota domus lux vna, cauum præsepe nitere
Gemmis, visæ auro sunt radiare fores.
Visa refert dominis ancilla, sed obruta somno
Corpora, vt et tenebris corda sepulta iacent.
Approperat roseis aurora iugalibus, & sol
Præcinctu velox splendidiore redit.
Stat manus ante fores pastorum, nuncia cũctis
Mira ferens, natum læta videre Deum.
Aethereos narrat cantus audisse, secutam
Aligero puero se præeunte, vias.

Hoſpes adeſt, nonvera putans audita, videnſq́;
Facta, ſtupet: viſis nec putat eſſe fidem.
Cernit vt infantem validũ, matremq́; decorã,
Et tremula totam luce micare domum,
Paſtoresq́; audit miracula ſacra loquentes,
Flectit & ipſe ſuum corde precante genu,
Alloquiturq́; bonam matrem, natumq́; ſalutat,
Officijſq́; piam monſtrat & ipſe fidem.
O cœlo parfacta domus, quam ſpectat ab alto,
Fulgida qui nutu temperat aſtra Deus,
Synnadioq́; pauimento, Nomadumq́; columnis
Pulchrior, & baccis gemmifer Inde tuis,
Clarius hoſpitiũ fuit hoc, quàm Martia Roma,
Sanctius hoc ſtabulũ, quàm Synagoga fuit:
In quo Chriſte iaces, in quo regina potentis
Mater, & Angelici lucida flamma chori.
Fortè venit, greſſum celerans Nabathæus Ale-
Euentura ſenex dicere doctus erat, (thes,
Nam ſacer implerat cœleſti ſpiritus aura,
Magna Dei qui non facta latêre ſinit.
Hoſpes, ait, lætare, Deo nunc hoſpite felix,
Nec cæla in tacito gaudia tanta ſinu.

Mox

Mox Perſas viſure Magos, quos ſtella remotos
Adducet longis lucis ab axe plagis,
Mox & Idumæi rabiem ſenſure tyranni,
In tua qui ferro pignora ſæuus erit,
Oenotria veniet quoq; rex immanis ab vrbe,
Quaq; puer iacet hic, ſtabit Adonis humo,
Cum conſorte Dea, quæ ſpumis edita Ponti
Fertur, & è ſalſis exiliſſe vadis.
Si tamen huic puero te, ſi tua pignora credes:
Omnia cunctipotens reddet adempta puer,
Et te ſtellifera natosq; locabit in arce,
Mutat vbi nullus gaudia ſancta pauor.
Triſtia ſic lætis miſcentur: triſtia cedunt,
Læta manent: ſolus ſpes quia ſumma Deus.
Concinit iſta ſenex, domus eſt mirata canentẽ,
Totaq; venturis horruit ægra malis.
Iam Solyma rumor ſpaciatur multus in vrbe,
Promiſſum peperit regia virgo Deum.
Aures fama ferit, ſed non etiam aſpera corda
Afficit: heu paucis noſcere cura Deum.
Quòd ſi forte tuas princeps venturus ad ædes,
Expeterer famulis hoſpita tecta ſuis,

Tota Marœoticis domus eſſet picta taperis,
Purgataq́; omni parte niteret humus:
Proferres aurum, tabulas, vnguenta: parares
Magnificas menſas, fercula, vina, dapes.
Bis ſatura extructos ornaret purpura lectos,
Vecta tuo Sidon littore, Tarſe tuo:
Chriſtus adeſt, pulſatq́; fores, & limina tangit,
Et tua pro requie tecta benigna petit,
Excipe præſentem quouis in paupere Chriſtum,
Exiguam qui te poſcit egenus opem.
Exulibus ne tecta nega, nudoq́; lacernam
Inïjce, nec ſiccos reïjce fontis aqua.
Neu tibi donatis alimentis veſcere ſolus,
Nec validis panem mille reclude ſeris:
Non menſam Chriſtus, non totas occupat ædes,
Non ſolito pellit teq́; tuosq́; thoro,
Contentus ſtabulo, placidus patienſq́; quieſcit,
Inq́; tua dominum te ſinit eſſe domo.
Si præbere nequis lectum, ſi molle cubile,
Excipe quo fas eſt pectore, voce, fide:
His prius exceptus ſi non eſt, nulla ſequentur
Officia, in ſanctis quæ celebranda viris.

Chri-

Chriſte potens ſuperis, in terris hoſpes inopsq́,
Cui parua in vaſto non fuit orbe caſa:
Indiget hoſpitio quoq; nunc Eccleſia pauper,
Quam lacerat varijs impia turba plagis.
Omnes Tibris opes, totum Tagus aggerat aurũ,
Imminet & populo Chriſte ruina tuo.
Nunc redit inſani vis ſanguinolenta Neronis,
Cuius Apoſtolico ſanguine tincta manus.
Nunc ſancti pereunt, ſuffixi guttura clauis:
Sed tibi prædico barbare Theuda necem,
Cui dedit improbitas titulos, diroq; datura
Eſt Phlegetonteas terra tyrannis aquas.
Hoſtis ab Aemathia, Mæotide ſæuit ab ora,
Armat & algentes ira Boryſthenidas.
Tu Chriſte, vt nidum ſub tigno figit hirundo,
Inq; caua pullos arbore paſſer habet:
Sic aliquã ſerua, ſanctorũ habitacula, ſedem,
Et reges magno numine tolle feros.
Vt ſtetit Armenijs ſeruata in montibus Arca,
Saluus vt Hadriacum per mare Paulus abit
Sic portum inueniat, facilesq; Eccleſia ventos,
Tutaq; per mundi nauiget ipſa fretum,

Vt portas illi claudant aditumq́; tyranni,
In caſula, ſtabulo, littore preſſa iacet,
Sed defenſa iacet: nam Chriſto præſide victrix,
Vt pereat mundus, non perit illa tamen.

ELEGIA X.

BOS ET ASINVS.

M. D. LXX.

NOn colimus geminũ geſtantẽ cornua Panẽ
Aut quæ frõte hõinis Iuppiter Hãmõ habet,
Nec nos vacca mouet, de puro ductilis auro:
Vulgi, ſub Sina monte, furentis opus:
Nec quos Nebathides vitulos erexerat, atque
Deficere Iſaidas fecerat arte ſua.
Non aſinis locus in templis: Lampſacus vt olim
Auritum coluit, tuq́; Reate, pecus,
Cum boue non aſinus curru titubante feruntur
Quale Maronitum Bacchica plauſtra iugũ:
Solus ab æterno qui temperat omnia: cuius
Gnati morte, Deo gens precioſa ſumus,
De qui-

De quibus æquipotens procedit ſpiritus, omniũ
Conditor & cœli rex, hominumq́ parens,
Eſt Deus, in triplici virtute vnita poteſtas:
Maxima vis, dulcis vita, ſalubris amor.
Huic ſoli templis venerandas ponimus Aras,
Solius & celſum ſternimur ante thronum.
Nunc iterum Chriſto ferimus ſolennia dona,
Promimus & feſto carmina feſta die.
Qui patris è gremio miſſus, gremioq́ recũbens
Virginis, in terris aſpiciendus homo eſt.
Is repetit grates, meritum & teſtantia dici
Verba cupit: placeant pectora grata Deo.
Nil aliud miſeris ad gaudia tanta relictum,
Plaudere quam cithara, pectore & ore Deo.
Quid Iudæe fremis, cur inclamante Propheta,
Ad voces mutilis auribus eſſe ſoles?
Angelico cantu totus cùm perſonet æther,
Obſecro quid captis ſenſibus auris habet?
Negligis ipſe tuos paſtores improbe, nec te,
Extremo veniens Medus ab orbe, mouet.
Atq́ per Antipæ ingrediens ſpectabilis aulam,
In templo patres conſulit ipſe tuos:

Num ſtellam inſolitã, quæ ſupra mœnia Bethlæ
Fulſerat, Amramidum cernere nemo poteſt?
Bos aſinuſq; Deum norunt, quẽ mane ſalutãt,
Quo prudens iuſſit conditor ore loqui.
Magnanimi meminere hominũ benefacta leo-
Et qui ſeſſorem corpore portat equus: (nes,
Nouit velifero qui ludit in æquore Delphin,
Et qui ſub terris incolit antra Draco.
Beſtia vaſta Elephas, ſimul et Gangetica Tigris
Non rabido altori dente nocere ſolet,
Et canis in vacuo recubat qui limite cuſtos,
Submittens notum corpus adulat herum.
Plura quid enumerem, ſuperantia littoris algã
Nomina, quæ meritis docta referre vicem?
Terrica corda hominũ, pietate animalia vincũt
Et brutum inculta plus ratione poteſt.
Ingratus nam ſolus homo, nec munera curat,
Expendit ſummi nec benefacta patris.
Laus nulla eſt Chriſto nato reuerentia nulla,
Nulla fides viſo, gratia nulla dato.
Pectora ſic ferrum, cautes, adamantaq; vincũt,
Durior aut illis ſi rigor eſſe poteſt.

Vt can-

Vt cantus ſonuêre polo, Nunc vênit ab alto,
Promiſſus populo duxq́ Deusq́ ſuo:
Cura ſubit paucis: cantus audire beatos
Indulgens vitijs impia turba nequit.
Accurrunt moniti paſtores, durus agreſtis,
Et qui ſtant vigiles ad ſua ſepta canes.
Vt cernunt puerum terra ſtabuloq́ iacentem,
Pondiferum ante aſinū, ruricolā ante bouē:
Quâ veniūt, mirāda canūt, et viſa renarrrāt,
Gratantes genti gaudia parta ſuæ.
Tempus adeſt illud, quod dixerat ante futurū
Iſacides, mortis mox aditurus iter.
Non aſino paleæ ſemper nec carduus eſca,
Sed paſtu fiet nobiliore ſatur,
Carpet Aminæas vites, grauidamq́ bumaſten,
Manabunt inter Biblina vina pedes.
Calcabit precias nigras, renucmq́ lageum,
Et quam Lesbos alit palmite, Chios alit.
Tunc aſinus voces etiam (mirabilè) rumpet,
Inſolitosq́ rudi proferet ore ſonos,
Et cum vate malo, cui parſerat angelus anìè,
Gentili indigne cœſus ab enſe cadet.

Ille

Ille ministerium Christo iam præbuit orto,
Inq́ Parœtonios est comitatus agros.
Ille Deum cœli tempestatumq́ potentem
Gestat, eumq́ senex mente Prophcta videt,
Cùm Solymam plausu, lætis & vocibus vrbem
Introit, & templi tecta superba petit.
Cernit vbi stratos silices, & frondibus auctos,
Et medias multa veste nitere vias,
Cùm populus latis resonaret voce plateis:
Sis bonus, & nobis Rex benedicte veni,
Cui pater imperium, & cœli largitus honorem,
Quem voluit populi principis esse caput:
Quem modò nos tecto puerũ sub paupere natũ
Cernimus, & cœli scimus habere thronum,
Præsentemq́ suis hominẽq́ Deumq́ fatemur:
Donec erit lunæ semita, solis erit.
Ille cruore boum quondam per signa notatus,
Sanguine perpurgat sordida cuncta suo.
Et nunc ante bouẽ, ceu fœdera prisca retractãs
Mactandus tristi postmodo morte, iacet,
Victima pro toto figendus stipite mundo,
Ad præsepe asini vile, recumbit homo.

O amor

O amor, æterni proles & imago parentis,
O pietas, hominum frater, & orbis honor:
Quas tibi mortali meditabor carmine grates?
Quo tibi, peccatis obrutus, ore canam?
Humanis tua sit felix præsentia rebus,
Semper ades populo mitis, vt antè, pio.
Ecce tuo indigni trahimus de nomine nomen,
Et ferimus propter nomen acerba tuum.
Deq́; tua teneri pendemus vite racemi,
Efferat ò fructus nobilis vua bonos.
Effice nos gratos: prohibe, nos crimine fœdo,
In stolidum turpes degenerare pecus.
Nos malefacta premũt, sceleris mẽs conscia dã
Tollere vixq́; sinit lumẽ ad astra pudor. (nat,
Inde ruunt in nos, furiosi nominis hostes,
Qui tua dant igni templa, piosq́; neci,
Impugnantq́; sacras aras, & tecta refringunt,
Et ponunt signis signa inimica tuis.
Conspirant reges in viscera nostra potentes,
Iurati nomen tollere Christe tuum,
Tum delere fidem tentant, solatia nostra,
Sæuit & immani fertilis ira modo.

Non

Non ſi mille mihi linguæ, ſi pectora mille,
Omnigenas fraudes, factaq́ cruda loquar,
Abſumptæ vires in nos terræq́ maris q́,
Quin etiam cœlo, quod minitentur, habent.
Non ſic Herodes immiti pectore notus,
Sæuitia quo non tetrior alter erat.
Contere fulminea tu Chriſte Lycaona dextra,
Quidnam auido gentem deuorat ore tuam?
Quā tu factus homo ſociā facis, inde redemptā
In cruce, ſidereas das habitare domos,
Hæredemq́ tui ſtatuens altiſſime regni,
Efficis angelicis ciuibus eſſe parem.
Reſpice nos, & damna leua caſusq́ piorum,
Perpetuò es populum qui miſerate tuum.
Inq́ malis animos aſpira numine fortes,
Vt firmam minuant triſtia nulla fidem,
Pondereq́ vt preſſis ſurgit palma ardua ramis,
Sic creſcat conſtans robur, amore tui,
Cumq́ ſiti exhauſti gemimus, duroq́ labore,
Dente feri ſaliat viuida fontis aqua.
Impius intereat ſternacis verbere malæ,
Lugeat & fatis, interituq́ malo.

Nam

Nam quamuis vultu auerſo Pater almevidêris
Et tua nos miſeros, heu, meritò ira granat:
Non tamen eſt noſtri Simſonis fracta poteſtas,
Atq; eius hoſtes vna ruina trahet.
Exurget ſanctis aliquandò ex oſſibus heros,
Pro populo felix qui pia bella gerat.
Chriſtus enim mortis victor, Stygiæq; paludis,
Infidorum etiam maximus vltor erit.

ELEGIA XI.

PRÆSEPE.

M. D. LXXI.

EN Præſepe nouum mira fulgeſcere luce
Incipit, atq; iubar clarius inde iacit.
Non ſic reſplendent candentes æthere Phatnæ,
Cum findit Cancri feruidus æſtus humum.
Scilicet hoc Præſepe, iacet quo conditor orbis,
Materia Angelico carmine digna fuit:
Ad quod nunc ego tendo manus, et cernere regẽ
Opto Deum inq; data cernere prole Patrem.

Nam

Nã qui nunc ſtabulo, Præſepi imponitur infãs,
Cœlorum & terræ maxima iura tenet.
Naſcitur in tenebris, nunc qui ſub cardine mũ
Is ſolis lumen lumine maius habet, (di,
Quiq́, modò hoſpitio ãguſto, qui paupere cultu,
Faſciolis tegitur tempore bruma tuo,
Hic Puer ille, olim promiſſus, nunc datus orbi,
Quem patris ſequitur gloria, dum fit homo.
Hic princeps dominator, hic eſt rex fortis ab æ-
Torquet et inuicta grãdia quæq; manu. (uo,
Vnctus hic à Patre eſt, ſociali numine Flatus,
De cuius ſpirans vertice ſtillat odor.
Qui quamuis ſpretã ſpretus cubat ante paren-
Mortale Iſaidæ virgineumq; genus: (tem,
Non tamen amittit, quod ſecum cœlitus affert,
Immenſa immenſus conditione DEVS.
Ventre latet, totum diffuſus membra per orbẽ,
Quiq́, deeſt nuſquam, clauditur in ſtabulo.
Cernitur in cunis, rapidi fabricator Olympi,
Qui Deus eſt, ſpartum corpore vile premit,
Ille prior ſeclis, ſeriſq́, vetuſtior annis
Vagit, & infanti lac trahit ore puer.

Fulgure

Fulgure qui celſos ferit alta Ceraunia montes,
De matris collo debile pendet onus,
Et matrem riſu nouit patriq́ vigore
Par eſt: pacis amans, ſimplicitatis amans.
Aſtat ei à dextris Maieſtas, fulgor Olympi
Hinc circa ſeſe fundit, & inde latus.
Terribilẽ oſtentant gladiusq́ minæq́ ſiniſtram
Nempe malis vindex acer, & hoſtis erit.
Ipſe licet rex ſit valida Sionis ab arce,
Temperet et Solymæ ſceptra paterna domus:
Non tamen horrifico rabidoq́ ſatellite terret,
Arma nec, aut currus, aut cataphractõ agit,
Non oſtro Tyrio, non diuite ſplendet ab auro,
Nec radiat gemma verſicolore caput:
Sed forma ſerui, munus pæcinctus ad omne,
Suſtinet impoſitum numine Patre iugum.
Caſibus hinc grauibus, cunis iactatus ab ipſis,
Vix natus, ſilicis vulnera prima tulit.
Quid tibi acute ſilex, in Chriſti corpore iuris?
Heu mihi, naturæ ſemina noſco meæ.
Vitat Idumæam frameam, ſæuosq́ dolones,
Inq́ Pharonæam confugit exul humum,

Dumq́ redux patria miracula fecit in vrbe,
De patrio ciues trudere monte parant,
Saxaq́ per medios comprendit hypocrita vicos,
Vt rabida innocuum frangeret ira caput.
Post etiam minimo (sceleratum) venditus ære
Vincla manu, toto corpore flagra gerit,
Inq́ crucem elatus, clauos & spicula sentit,
Tum longa & dura morte peremptus obit.
Non decor vllus erat regi, confossus hiante
Vulnere, supplicium more latronis adit.
Ille tamen toties laceratus, humoq́ sepultus,
Tartara, perfracto limine, victor adit,
Et redit in lucem, cœlumq́ vocantibus astris
Scandit, & est lateris mutua cura Patris,
Cumq́ Patre imperium cœli moderatur et axis
Ecunis rediens tantus ad astra DEVS,
Et Pastor princeps animarum, respicit agnos,
Balantum & toto conuocat orbe gregem.
Nos nunc Christe tuo Præsepi sacra ferentes,
Voluimur ante tuos turba sacrata pedes.
Teq́ Deum verè colimus, fratremq́ vocamus,
Mortalem forma, numine vtq́ DEVM:

Quod ſpectãt oculi, ſcimus: quod mens q̃ fides-
Concipiunt, multò certius eſſe ſolet, (q̃
Nempe fides, quæ nixa Dei certiſſima verbo,
Luminibus noſtris eſt oculata magis.
Erigit hæc noſtros igitur fiducia ſenſus,
Audeat vt plena dicere lingua fide.
Chriſte puer, tu vere DEVS tu vere Sacerdos
Interpres magni conſilium q̃ Patris.
Rex Zebaoth, cœleſtis Adam, iuſtiſſime ſerue,
Dux pacis, rerum gloria, viua ſalus,
Angele defenſor pietatis, ſumme Redemptor,
Immanuel, proles Virginis, agne DEI.
Appellem nam te quo nomine? nomina cuncta
Vnus habes, quîs pax conſtat, & alma quies.
Eſt ſubiecta tibi ſuperum q̃ hominũ q̃ poteſtas,
Verruntur nutu ſparſa elementa tuo:
Præſepe in quo tu iacuiſti, Eccleſia ſancta eſt,
Nunc quoq; ſublimi non adeunda loco.
Non ea Romuleis auro fulgentibus aris
Amplius, aut Solyma ſplendida rupe niter,
Nec lapide aut lignis conſtat, ſaxoúe vel ære
Fundatur, ſolo eſt aut veneranda ſitu:

Chriſtus vbi eſt, quibus ille vigẽs in mẽtibus,
Tecta tenet Fidei, tẽpla Crucisq́, tenet: (alta
Hic tibi quæratur fulgente Eccleſia cultu,
Inde volant humiles ſemper ad aſtra preces:
Siue ſit ad Scythicos trãſmota aut abdita fines,
Siue per extremam diſſita Barbariam.
Siue inter Syrtes lateat, Turcaq́, tyranno
Vincla gerat capta ſemper habenda manu:
Hæc quoq́, priuatim tegere & ſeruare parata,
Et famulam nulli denegat ipſa manum,
Vt texit Moſen in flumine denſa papyrus,
Fiſcina cùm medijs iuncea naret aquis.
Hæc rotas ſeruat gentes: ſeruauit in igne
Aſſyrio, iuuenum fortia corda virûm:
Arca abiegna Noam de vaſtis reddidit vndis,
Tantùm vnum littus, totus vt orbis erat.
Et faſci impoſitus lignorum, baiulus ipſe
Euadit, ſtricto liber ab enſe patris,
Totus in immenſis exercitus ambulat vndis,
Quemq́, vorat, reuomit fluctibus, Orca ſenẽ,
Tutus ab inſidijs manet omnibus, omnibus ho-
Conſtans in cœtu, qui ſolet eſſe DEI. (ris,

Vt

Vt cœtum Christi circum, & præsepe verendũ,
Fundantur rabidæ totius orbis opes:
Impugnentq́ omnes vno sacra castra furore,
Omnia perq́ pios tela, per arma premant:
Nos tua vis defensa dabit, tua dextera pollens
Eruet, extremis proteget inq́ malis.
Hæc tibi concessa est vis Regi, maior enim te
Nullus, nec pectus firmius vllus habet.
Nec tua lenta nimis veniet vindicta, profanũ
Qua potes, arq́ soles perdere Christe gregem.
Concipe te dignas, nec differ longius iras,
Præsepis maneant vt loca salua tui.
Angelico certè Seruator diceris ore,
Atq́ hoc dulce ferens nomen, ab axe venis:
Insuper & nostris pro culpis victima factus,
Istius in meriti viuere parte iubes,
Iãq́ polo residẽs, et flaminis vnguina spargẽs,
Progeniem regum nos similem esse facis.
Ad Præsepe tuum nos te pie Christe canentes,
Esse velit saluos, numinis aura tui.

AMORES

ELEGIA XII.

CREPVNDIA

M. D. LXXII.

Cœlorũ canimus miranda Crepundia regis
Quæ prius Angelico sunt celebrata sono:
In quibus æthereus, iacuit modò proditus infãs
Et precium rebus vilibus ipse dedit.
Parua Deo curæ, qui celsis aspicit astris
Parua, nec in terris spernere parua solet,
Ipse etiam nato cunabula parua ter amplo
Apparat, in minimis & minimũ esse sinit:
Non quod diuini fons exiccetur amoris,
Desieritq; pij pectoris esse pater:
Sed quia mitis erat nostro stimulatus amore,
Vt nos infirmum ferret ad astra genus,
De gremio mittit natum: qui sola parentis
Mens inuisibilis, veraq; imago Dei.
Ergo corporeus cunis iacet, & regit alta
Omnipotens, natus virgine, sermo Patris.
Velatur pannis (sic Angelus indicat ipsum)
Dignior angelico lumine, luce prior

Cerni-

Cernitur in ſtabulo paſtoribus autor Olympi,
Digno & adoratur ſummus honore Deus.
Inter mortales verſatur paupere cultu,
Quotidie æterni qui patris ora videt.
Talem nemo malus cognoſcit, nemo proteruus:
Auctorem ratio neſcit & ipſa ſuum,
Capta quod à Satana, et cæcis immerſa tene-
Heu ſolet à Domino degener ire ſuo. (bris,
Illa videt terrena, ſed ad cæleſtia vacors,
Obſecro quid lucis, quidue pudoris habet?
Ille inimica Dei factis, contraria ſentit,
Quodq́; Deus probat, hoc carpere ſtulta ſolet.
Vos ò faſciolæ dulces, vos dulcia panni
Tegmina, nos aditu ne prohibete ſacro.
Quærimus hîc Chriſtū, tali qui proditus orbi eſt
Indicio: hæc cælo teſte, probata fides.
Angelus hæc pecorū fert nuncia læta magiſtris,
Veſtra ſalus Chriſtus, Dauidis vrbe iacet,
Natus homo: quē virgo parens eduxit in auras,
Quem poſitum quercu, lintea trita tegunt.
Ite, videre licet: paruā vrbē ante ora videtis:
Aſſonat Angelicus læta per aſtra chorus,

Suadet iter, monstratq; uiã: pia gaudia mentes
Pertentant: sanctum est uelle uidere Deũ:
Sed non diuina est in maiestate uidendus,
Cernere sic Mose tuq; Philippe cupis:
Tempus erit quando cœlos spectare licebit,
Inq; his præsentem conspicuumq; Deum:
In Christo pater apparet, uisuq; parentem
Tangit, qui natum uiscera chara uidet.
Vt ueniunt, puerum uix tacto limine cernunt
Et circum matrẽ cuncta stupenda notant:
Agmina cœlestis pastorum mixta careruæ
In laudes recinunt carmina mira Dei.
Mirantur præsepe, noui cunabula regis,
Linteolum manibus tangere, terror erat.
Hunc dempsere metum cœlestes, concio sancta
Quodq; puer sit eis hic datus, inde probant.
Quam uellẽ istius pulcherrima gaudia noctis
Concessa esse oculis Christe uidenda meis.
Sed lux clara Dei pastorum corpora circum
Quæ fulsit, pedis est facta lucerna mei.
Vos mecum pueri uiles euoluite pannos:
Diuinis semper gatia rebus inest.

Non

Non hîc ſpectatur byſſus, non Coa morantur
Lumina, quîs regum ſtrata ſuperba nitent:
Non iterũ tinctæ blattæ, aut holoſerica fulgent,
Non nardi, aut ſtactes halat amœnus odor:
Hîc non funduntur frutices ſpirantis amomi:
Noſter adeſt cultu ſplendidiore puer,
Cui nimbus, ſolis radij: quem ſidera cingunt,
Quem veſtit rutuli machina pulchra poli:
Huic ſedem tellus, dat currum pontus et æthra,
Huius & attingit dextera vtrumq́ polum,
Omnia complexu qui continet, omnia complet
Naturæ varias qui regit ipſe vices,
Qui cœlos ſupra magnus longe eminet altos,
Quo nil inferius pallidus Orcus habet.
Nunc in Ephrataeis pannoſus montibus infans,
Sic Domino rerum patre volente iacet.
Quærimus hunc puerum puerili mente puſillũ
Quærebas regem qua Melibœe tuum,
Vtq́ alij quærunt ouium de nocte magiſtri,
Commiſſum ſeruant qui vigilando pecus,
Mœnia quâ paruæ ſtabant florentia Bethlæ,
Paſtorum veterum nobilitata domus.

Hîc vbi Ieſſides, fortunaſſimus ille,
Sæpe egit pingues patris auiq́ greges,
Impleuitq́ ſuo valles, montanaq́ cantu,
Huius & in pueri laude diſertus erat,
Promiſſumq́ ſua venturum ab origine credit,
Et partem gaudet corporis eſſe ſui:
Oſcula cui nondum nato placidiſſima fixit,
Quem cecinit cithara, quem tenuitq́ fide:
Illum mente videt paſſurum, et vulnera nouit
Et cœli ſedem rurſus adire videt.
Omnia ſint operata Deo, promiſſa tenenti,
Vanus nullus apex excidit ore Dei,
Credere cui tutum, vitam committere tutum,
Et ſperare decus non aliunde ſuum.
Ille his tegminibus pannorũ euoluitur infans,
Qualis principio, quantus, & vnde genus.
Faſciolæ ſacri ſunt libri, & ſcripta diſerta
Antiquus liquit quæ monumenta labor.
Hæc eadem è pannis nam fiunt tempore noſtro,
Quos frangit ferrum, quosq́ refundit aqua,
Inq́ nouam fingit formam, duratq́ tepore,
Et ſimilem niuibus eſſe colore facit:

His

His demum electro libri ſcribuntur & ære,
Digni auro ſcribi digni adamante libri,
Qualia in his moti cecinerunt numine vates,
Ore Dei ſtatuit prodita noſtra fides,
Seu de venturo promittunt ſemine vitam,
Seu de venturi ſeminis hoſte monent:
Certa fides pannis, ſi ſis modo credulus ipſis,
In paruis res eſt quærere magna Deum.
Parue puer riſu placido cognoſce puſillos,
Teq́ amplexantum brachia necte tuis:
Ad teneras currit ſpectatum infantia cunas,
Atque humilem reperit nil niſi pauperiem,
Nil niſi pannoſum, ſi tantùm lumine cernat
Humano, ni mens interiora notet:
Illic theſauros miranda Crepundia vatum
Vox aperit, cœli diuitiæq́ patent:
Hîc ego non paueam bonitatem maxime regũ
Chriſte tuam, tantas qui mihi pandis opes:
Et prius eſſe meas vis, quam cognoſcere poſſim
Quantæ ſint: ne me nolit adire metus:
Cumq́ humana capax mẽs non ſit muneris hu
In præſepe, velut vilia dona, locas, *ius,*

Horre-

Horreat vt nequis tecto ſuccedere paruo,
Et palpare ſua membra verenda manu.
His ergo te faſciolis puer optime quæram,
Teq; colam qua vis ſimplicitate coli:
Hoc donec poſito velamine clara videre
Continget vultu luminibusq; nouis,
Vt quando occluſi tranſibas claustra ſepulchri
In tumulo linquens linтea ſola ſuo,
Teq; oculis præbens viſendum luce perenni,
Cùm locus inuolucris non ſuper vllus erit.

IN CHRISTI NATALEM HYMNVS

RErum creator omnium,
Sumit caducum exordium:
En virgo partus edidit,
Et factus eſt homo Deus.
Salue puer, filij Dei,
Puræq; natæ virginis,

Deſi-

Desiderate patribus,
Desiderate gentibus.
Quæ per Prophetas est Deus
Olim locutus, proprij
Diuinitatis abdita
Nunc pandet ore Filij.
Huic ergo grates supplici
Reddamus ore & pectore,
Cunisq; paruis dulcia
Figamus omnes oscula.
Adest benignus omnibus
In se pie credentibus:
Nos diligit, non horruit
Qui carnis imbecillia.
Cum Patre, cumq; Spiritu
Sancto, cui sit gloria.
Dies recurrat tempore
Hæc fausta semper annuo.

CHRI.

CHRISTVS CRV-
CIFIXVS,



IN IMAGINEM CRVCIFIXI.

EN qui cũcta mouet; pede fixo immobilis hæret
En sitit; è cuius fonte creata bibunt.
Qui virgulta auibus fecitq; cubilia brutis;
Quo caput inclinet nil miserandus habet.
Qui regum frontes sacro diademate cingit;
Espina & rusco serta cruenta gerit.
Qui decus & laus est, qui gloria vera suorum,
Infames inter nobilitatus obit.
Qui largitur opes; en nudus in aëre pendet,
Lucidior stellis liuidus ora gemit.
Qui iustus; luit iniusti pro crimine pœnas,
Expiat & lapsum victima labe carens.
Exhilarans omnes; expers solaminis ipse est.
Principis & vitæ mortua membra rigent.
O homo, dic Christo æternas hoc nomine grates
Nam pro te misero tam miseranda tulit.

N. C.

ROSTOCHII.
Excudebat Iacobus Lucius Transyluanus,
Anno M. D. LXXIII.
Mense Septembri.

152407

X2005465

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-145966-p0276-6

2

IMAGINVM

ET MEDITA-

TIONVM SA-

CRARVM.

LIBRI III.

NATHAN CHYTRAEVS.

Cum Cesareæ Maiestatis Priuilegio.

ROSTOCHII

Excusi per Iacobum Lucium.

ANNO M. D. LXXIII.

A. Henneg von der Lühe.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-145966-p0277-2